MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE

ANTE HOS CCCXVIII ANNOS

SCHOLAE REGIAE AFRANAE

D. IV. IUL. MDCCCLXI.

H. L. Q. C.

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

FRIDERICUS FRANKE

DR. PHIL. ILLUSTRIS AFRANEI RECTOR ET PROFESSOR I. ORD. REG. SAX. ALB. EQUES.

Praemissum est

MAX. HERMANNI VETTER *Specimen lexici in musicos graecos.*

MISENAE,

EX OFFICINA C. E. KLINKICHTII ET FIL.

1861

Quicunque ad musicorum Graecorum lectionem se dederit, is fieri non poterit quin duabus potissimum difficultatibus se videat impeditum. Quarum altera posita est in scriptorum illorum contextu, quem vocant, parum emendato; nam post Bullialdi, Meursii, Meibomii, Wallisii curas illi excepto uno Plutarcho fere neminem nacti sunt, qui a foedis quibus obsessa sunt mendis eorum scripta expurgaret; neque vero quisquam in hac re expedienda poterit proficere, nisi cui contigerit, ut novis instructus codicum praesidiis accedat. Altera nascitur difficultas ab artis vocabulis sive terminis qui vocantur technicis. Atque hac ex parte cum multa virorum doctorum, Boeckhii (de metr. Pind. l. III cp. VII—XI) Bellermanni (Anonymi script. de mus. Berol. 1841 et Die Tonleitern u. Musiknoten der Griechen, 1847) Volkmanni (ad Plut. de musica) aliorum curis illustrata sint, tum permulta etiam nunc desiderantur. Plurima enim illorum vocabulorum in lexicis, quibus nunc fere utimur, aut non sunt explicata aut ita, ut verborum et rerum intellectus parum adiuvetur. Quare ad prosperum horum studiorum successum maxime desiderari videtur lexicon musicum, quod quidem desiderium iam Meibomium tenuisse videtur, ut qui ipsum se tale lexicon confecturum esse promiserit; sed promissis quod sciam non stetit. Duo autem in tali quale informo lexico componendo sequenda erunt, alterum, ut artis vocabula, quod ad rerum intellectum attinet, omnia accurate explicentur, alterum ut ipsius linguae ratione habita grammaticus ut ita dicam verborum usus et omnino illorum scriptorum dicendi genus illustretur; nam hac quoque ex parte haud exiguum arbitror fructum ex istis scriptoribus redundaturum esse ad universam linguae graecae cognitionem. Iam cum scriptionis edendae occasio mihi esset oblata, non inutile duxi, si eiusmodi lexici horum studiorum amantibus proponerem specimen, de cuius ratione haec lectorem praemoneo: ac primum quidem fontibus, e quibus vocabulorum significationes haurirem, iis potissimum usus sum scriptoribus, qui Meibomii editione continentur, reliquis, Platone, Aristotele, Plutarcho, Theone Smyrnaeo, Ptolemaeo, Psello, Bryennio per occasionem tantum in partem vocatis;

deinde in hoc quidem specimine rerum intellectum magis quam linguae usum respexi; in eligendis autem quae explicarem vocabulis, id secutus sum, ut ea potissimum recenserem, quae in lexicis aut non satis recte aut plane non exposita viderem; quae autem adhuc desiderantur in lexicis, ea asterisco notavi. Denique quod ipsum quo usus sum dicendi genus attinet, idem mihi sumo quod sibi Vitruvius libr. V, 4, 1, qui de musicis rebus disputaturus „Harmonica autem" inquit „est musica literatura obscura et difficilis — —; quam si volumus explicare, necesse est etiam graecis verbis uti, quod nonnulla eorum latinas non habent appellationes."

Ἀγωγή. Duplex est huius vocis apud musicos usus; agoge enim aut melodica est *ἀγωγὴ τῆς μελῳδίας* Athen. XIV, p. 624 D: *ἀγωγὴ μέλους* Aristox. p. 53. aut rhythmica *ἡ κατὰ ῥυθμοῦ* (malim *κατὰ ῥυθμόν* ut statim praecedit) *ἀγωγή* Bacch. p. 14; nos priorem tantum considerabimus. Ad melodiam igitur relata *ἀγωγή* id genus melopoeiae indicat, ubi cantus decurrit per sonos in certo aliquo systemate deinceps (*ἑξῆς*) positos i. e. ita se excipientes, ut nullus eiusdem systematis sonus intermittatur. Euclides p. 22: *ἀγωγή ἐστιν ἡ διὰ τῶν ἑξῆς φθόγγων ὁδὸς μέλους.* Aristides p. 19: *ἀγωγή ἐστιν, ὅτε διὰ τῶν ἑξῆς φθόγγων ποιώμεθα τὴν μελῳδίαν.* Idem indicare videntur Aristoxeni verba misere depravata p. 29: *ἀγωγὴ δὲ ἔστω ἡ διὰ τῶν ἑξῆς φθόγγων ἔξωθεν τῶν ἀρχῶν, ὧν ἐν* (cod. Lips. *ἓν*) *ἑκατέρωθεν ἀσύνθετον κινεῖται* (cod. Lips. *κεῖται*) *διάστημα.* Agoges autem tres sunt species: 1) *εὐθεῖα* ascendens a gravi in acutum, 2) *ἀνακάμπτουσα* revertens i. e. descendens ab acuto in grave, 3) *περιφερής* ascendens per synemmenon tetrachordon et descendens per diezeugmenon aut contra. Ita docet Aristid. p. 19: *ἔτι τῆς μελῳδίας ἡ μὲν εὐθεῖα καλεῖται, ἡ δὲ ἀνακάμπτουσα, ἡ δὲ περιφερής· εὐθεῖα μὲν ἡ ἀπὸ βαρύτητος εἰς ὀξύτητα, ἀνακάμπτουσα δὲ ἡ ἐναντία, περιφερὴς δὲ ἡ ἐμμετάβολος· οἷον εἴ τις κατὰ συναφὴν τετράχορδον ἐπιτείνας ταὐτὸν ἀνείη τῷ κατὰ διάζευξιν·* et paullo uberius p. 29: *ἀγωγῆς μὲν οὖν εἴδη τρία· εὐθεῖα, ἀνακάμπτουσα, περιφερής, εὐθεῖα μὲν ἡ διὰ τῶν ἑξῆς φθόγγων τὴν ἐπίτασιν ποιουμένη· ἀνακάμπτουσα ἡ διὰ τῶν ἑπομένων ἀποτελοῦσα τὴν βαρύτητα· περιφερὴς δὲ ἡ κατὰ συνημμένων μὲν ἐπιτείνουσα, κατὰ διεζευγμένων δὲ ἀνιεῖσα· ἢ ἐναντίως. αὕτη δὲ κἂν ταῖς μεταβολαῖς θεωρεῖται.* Ex iis quae in utroque loco de tertia specie dicuntur, *περιφερὴς δὲ ἡ ἐμμετάβολος* et *αὕτη δὲ κἂν ταῖς μεταβολαῖς θεωρεῖται* patet, eam esse adhibitam ad efficiendum transitum ex uno in alterum modum. Namque si a mese modi Lydii i. e. a sono *a* intenditur per diezeugmenon tetrachordon, remittitur per synemmenon, sic:

a h c d e d · c b a

fit transitus ex Lydio in Hypophrygium modum.

Ab hoc quem exposuimus agoges vocabuli significatu haud ita diversus est ille, qui noscitur ex Anonymi scriptione de musica ed. Bellermanni sect. 80: *ἀγωγὴ τοῦ διὰ τεσσάρων κατὰ σύνθεσιν*, ad quem locum vide Bellermannum qui docet „*ἀγωγήν* eam esse canendi exercitationem, qua melodia, sonos consonanti intervallo comprehensos sursum deorsum permeando, primum a gravissimo scalae sono canatur, deinde a secundo, et sic porro usque ad acutissimas scalae regiones producatur;“ ubi inverso ordine haec omnia canuntur, efficitur *ἀνάλυσις*, ibid. sect. 81.

ἀκίνητος. *φθόγγοι ἀκίνητοι* sunt soni immobiles i. e. qui in generum differentiis suis finibus manent neque tensionem mutant; vide voc. *κινεῖσθαι.* Aristox. p. 22: *ἐν τούτῳ γὰρ (τετραχόρδῳ) δύο μὲν οἱ περιέχοντες φθόγγοι ἀκίνητοί εἰσιν ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς.* ibid. p. 61: *ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς τὰ τοῦ διὰ τεσσάρων μέρη μόνα κινεῖται· τὸ δ' ἴδιον τῆς διαζεύξεως* (hoc vero est toni intervallum quod est inter duo tetrachorda disiuncta) *ἀκίνητόν ἐστιν.* ibid. p. 61 s. fin. *οἱ τὸν τόνον περιέχοντες (φθόγγοι) ἀκίνητοί εἰσιν ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς.* Plut. de mus. p. 1145 D: *οὐ μόνον τῶν κινεῖσθαι πεφυκότων, ἀλλὰ καί τινων ἀκινήτων ἀνιεμένων.*

ἀκλινής. De sonis dictum idem significat quod *ἀκίνητος.* Alyp. p. 2: *φθόγγοι ἑστῶτες καὶ ἀκλινεῖς.*

ἄκρος. *οἱ ἄκροι φθόγγοι* sunt soni extremi vel termini quibus tetrachorda, vel etiam his maiora systemata definiuntur. Aristox. p. 56 fin. *τοὺς ἄκρους τῶν ὡρισμένων φθόγγων ἐπὶ τὴν αἴσθησιν ἐπανακτέον.* ibid. p. 57 s. fin. *συμφωνοῦσιν οἱ ἄκροι τῶν ληφθέντων φθόγγων.* Bacch. p. 7 med. *τάξις φθόγγων ἂν οἱ ἄκροι πρὸς ἀλλήλους συμφωνοῦσιν.* Deinde substantivi loco usurpatur omisso voc. *φθόγγοι.* Gaudent. p. 12: *τῷ διὰ τεσσάρων τὸ διὰ πέντε προστεθὲν τοὺς ἄκρους συμφώνους ποιεῖ.* Aristox. p. 46: *μενόντων τῶν ἄκρων.* ibid. p. 50 med. *συμφωνούντων τῶν ἄκρων.* ibid. p. 57: *οἱ τοῦ ληφθέντος συστήματος ἄκροι.* Nicom. p. 9: *τῶν ἄκρων αὐτῶν ἀλλήλοις τὴν κατακορεστάτην συναποτελούντων συμφωνίαν.* ibid. p. 15 init. *ἡ τῶν ἄκρων σύνθεσις.* ib. p. 26: *οἱ μὲν οὖν τετραχόρδου ἄκροι ἑστῶτες φθόγγοι λέγονται.* ib. p. 20 lin. 9: *ἐφ' ἑκάτερον ἄκρον.* p. 20 lin. 21: *προσῆψαν ἄλλα δύο τετράχορδα, ἑκάτερον ἐφ' ἑκατέρῳ ἄκρῳ.* Aristot. probl. XIX, 41: *οἱ ἄκροι πρὸς ἀλλήλους οὐδένα λόγον ἕξουσιν.* cf. ib. 44. 47. Eodem sensu etiam neutrum genus huius vocabuli usurpat idem Nicomachus p. 9: *ὁ μέσος φθόγγος πρὸς ἀμφότερα τὰ ἄκρα συγκρινόμενος*, et p. 36: *ἄμφω τὰ ἄκρα.*

ἀλλάττω. Passivum huius verbi idem significat quod *κινεῖσθαι.* Nicom. p. 26: *ἐν μὲν οὖν χρωματικῷ ὁ τρίτος ἠλλάγη φθόγγος πρὸς τὸ διάτονον.*

ἀμελῴδητος. Hoc vocabulum non recte in Passovii lexico vertitur *ohne Melodie*; *ἀμελῴδητον* est potius id, quod cani nequit ideoque locum non habet in systematis ordine, ut ipse Aristoxenus docet p. 25 v. 24: *ἀμελῴδητον — ὃ μὴ τάττεται καθ' ἑαυτὸ ἐν*

συστήματι. Ita autem vocantur intervalla, quae sunt diesi enharmonia i. e. toni quarta parte minora. Aristox. p. 21: *τὰ τούτων* (scil. *διέσεως χρωματικῆς ἐλαχίστης* et *διέσεως ἐναρμονίου ἐλαχίστης*) *ἐλάττονα πάντα ἔστω ἀμελῴδητα.* ib. p. 28: *τοῦτο* (scil. quod reliquum est demtis de diatessaron intervallo duabus diesibus enharmoniis) *δ᾽ ἔστιν ἤτοι ὀκταπλάσιον τῆς ἐλαχίστης διέσεως, ἢ μικρῷ τινι παντελῶς καὶ ἀμελῳδήτῳ ἐλάττονι* (scribe *ἔλαττον*), ubi illud *μικρόν τι καὶ ἀμελῴδητον* significat sextam partem soni. Aristid. p. 19 med. *ὅθεν ἀπέγνωσάν τινες τὴν κατὰ δίεσιν μελῳδίαν, διὰ τὴν αὐτῶν ἀσθένειαν καὶ παντελῶς ἀμελῴδητον εἶναι τὸ διάστημα ὑπολαβόντες.*

ἀμερής. *εἶδος τῆς κατὰ φωνὴν κινήσεως ἀμερές* Aristid. p. 8. Vide voc. *κίνησις.*

ἀμιξία. Indicat hoc vocabulum earum rerum naturam quae misceri non patiuntur: Euclid. p. 8 s. fin. *διαφωνία δύο φθόγγων ἀμιξία μὴ οἵων τε κραθῆναι, ἀλλὰ τραχυνθῆναι* (?) *τὴν ἀκοήν·* quem locum propterea adſero, quod in Passovii lexico eius significationis quae est: ***Unvermischbarkeit,*** desiderantur exempla.

ἀνακάμπτω. *ἀγωγὴ ἀνακάμπτουσα* Aristid. p. 19 et 29. Vide voc. *ἀγωγή.*

ἀνάλυσις. Significat hoc vocabulum canendi exercitationum aliquod genus. Anonym. Bellerm. sect. 81: *ἀνάλυσις τοῦ διὰ τεσσάρων.* Vide voc. *ἀγωγή* s. fin.

ἀναπλοκή est species eius melopoeiae generis quod vocatur *πλοκή,* ad quam vocem delego lectorem.

ἄνεσις. vide voc. *ἐπίτασις.*

ἀνίημι. vide voc. *ἐπιτείνω.*

ἀπαρτίζω. Numerus *ἀπαρτίζειν* dicitur alterum numerum, cum hunc totum eiusque aliquot partes ita continet, ut ipse sit integer. Nicom. p. 32: *ἐπόγδοον γὰρ αὐτὴν* (scribe *αὐτὸν* scil. *τὸν σμγ*) *ἀπαρτίζοντα οὐχ εὑρίσκομεν,* nimirum numeri 243 superoctavus esset 273³/₈, qui cum non sit integer, non *ἀπαρτίζει τὸν σμγ.*

ἀπλατής. Utitur hoc vocabulo Nicomachus in definiendo sono p. 7: *φθόγγον δὲ* (*εἶναί φαμεν*) *φωνῆς ἐμμελοῦς ἀπλατῆ τάσιν.* et p. 24: *φθόγγος ἐστί — — ἦχος ἀπλατής, κατὰ τόπον ἀδιάστατος.* Sonus enim certe is, qui cantui aptus est, fit ubi vox in una eademque tensione consistit, ita ut in neutram partem neque in acumen neque in gravitatem deflectat, sed solam tensionem per se canat atque manifestam reddat. Non incommode igitur tensio vel qui in ea fit sonus puncto comparatur et *ἀπλατής* dicitur.[1]) Videtur autem

---

[1]) Idem vocabulum *ἀπλατής* Euclides quoque p. 2 adhibet ad definiendam vocem *τόνος* i. e. ***modus***: *τόνος δέ ἐστι τόπος τις τῆς φωνῆς, δεκτικὸς συστήματος, ἀπλατής·* sed quid hic sibi velit, equidem fateor me non assequi; neque vera sunt, quae Meibomius in Eucl. p. 48 ad explicandam hanc rem disputat; nam quod iure singulis sonis attribuitur, id non propterea etiam cadit in modum qui sonos continet. Neque ita potest illud vocabulum excusari, ut quis dicat, voluisse Euclidem cavere, ne quis propter vocabulum *τόπος* de latitudine cogitaret; nam neque Euclides, excepto hoc loco, neque ceterorum quisquam, ubicunque *τόπος τῆς φωνῆς* commemoratur, tale quid addunt, cum tamen idem error ubique potuisset nasci. Equidem non dubito quin vocabulum illud interpolatoris sit additamentum.

Nicomachus addito hoc vocabulo lectorum animos praemunire voluisse contra illum errorem antiquorum quorundam musicorum qui putarent sonum latitudinem quandam habere, quem errorem iam Aristoxenus impugnat his verbis p. 3: *ὅπερ Λάσος τε καὶ τῶν Ἐπιγονείων τινὲς ἔπαθον, πλάτος αὐτὸν* (scil. *τὸν φθόγγον*) *οἰηθέντες ἔχειν*. Quae quidem de soni latitudine sententia ea fuisse mihi videtur, ut putarent vocem in sono edendo in utramque partem et in acumen et in gravitatem deflectere,[1]) ita ut ipse sonus latitudinem quandam adquireret. Certe omnes fere scriptores musici suis soni definitionibus praecaverunt, ne quis in hunc errorem incideret; nam quod plerique addunt *ἐπὶ μίαν τάσιν* vel *μίαν καὶ τὴν αὐτὴν τάσιν*, id eundem sensum habet quem apud Nicomachum vocabulum *ἀπλατής*.

ἁπλοῦς. *κίνησις τῆς φωνῆς ἁπλῆ* et *οὐχ ἁπλῆ* Aristid. p. 7. Vide *κίνησις* not. 1. de *ἁπλῆ τάσις* Nicom. p. 24. et *ἁπλῆ φωνή* Aristid. p. 7 vide *τάσις*.

ἀποσημαίνειν est nota musica sonum notare. Gaud. p. 22 init. *φθόγγος ἐν διαφόροις σημείοις ἀποσημαίνεται*. ib. p. 23 med. *ἔθεσαν δὲ διπλᾶ καθ' ἕκαστον στίχον τὰ σημεῖα· ὧν τὸ μὲν ἄνω τὴν λέξιν ἀποσημαίνει, τὸ δὲ κάτω τὴν κροῦσιν*. Medio utitur Gaud. p. 22 med. *τοῦτον* (*τὸν φθόγγον*) *οἱ παλαιοὶ τῷ ταυ σημείῳ ἀπεσημήναντο*.

* *ἀποσημειοῦσθαι* idem quod *ἀποσημαίνειν*. Gaud. p. 22 s. fin. *ἑνὶ σημείῳ δύναιτό τις ἐπιγινώσκειν καὶ ἀποσημειοῦσθαι φθόγγον*.

ἁρμονία. Hoc vocabulum ab Hesychio et Suida[2]) optime explicatur per *εὔτακτος ἀκολουθία*· ad musicam igitur relatum significat omnem concinnam modulatamque seriem sonorum secundum grave et acutum sese excipientium. Plat. de legg. II, p. 665 A: *τῇ τῆς κινήσεως τάξει ῥυθμὸς ὄνομα εἴη, τῇ δ' αὖ τῆς φωνῆς, τοῦ τε ὀξέος ἅμα καὶ βαρέος συγκεραννυμένων, ἁρμονία ὄνομα προσαγορεύοιτο*· ita etiam Aristoxenus concinnam sonorum seriem *ἁρμονίαν* vocat p. 49 med. *ἁρμονία γὰρ εἶναι τῇ αἰσθήσει κατ' ἀμφοτέρας τὰς διαιρέσεις φαίνεται*. Deinde usurpatur pro vocc. *μελῳδία* vel *μέλος*. Ita apud Plat. legg. VII, p. 812 C: *τῶν ἁρμονιῶν συστάσεις* idem sunt, quod apud Aristoxenum p. 5 et 15 *μέλους σύστασις*. Gaud. p. 1: *εἰσὶ γὰρ* (*οἱ ἁρμονικοὶ λόγοι*) *περὶ φθόγγων τε καὶ συστημάτων — — κατὰ πάντα τὰ γένη τῆς ἁρμονίας*, quae eadem genera Aristides vocat *γένη τῆς μελῳδίας* p. 18, Aristoxenus *γένη τοῦ μέλους* p. 19 vel *γένη τῶν μελῳδουμένων* p. 44. cfr. etiam Aristid. p. 28: *μέλος δέ ἐστι τέλειον τὸ ἔκ τε ἁρμονίας καὶ ῥυθμοῦ καὶ λέξεως συνεστηκός*. Apud antiquissimos musicos significabat harmoniae vocabulum diapason et consonantiam et systema: Nicom. p. 16 s. fin. *οἱ παλαιότατοι ἁρμονίαν* (*καλοῦσι*) *τὴν διὰ πασῶν*, p. 17 init. *ἐξ αὐτοῦ τούτου ἁρμονία κληθεῖσα, ὅτι πρωτίστη ἐκ συμ-*

---

[1]) Non debuit Meibomius l. l. cum hac Lasi et Epigoniorum opinione confundere eorum sententiam qui ad vibrationum celeritates sonos revocabant; nam quae hac de re apud Aristoxenum p. 12 et 32 leguntur, ea contra Pythagoricos disputata sunt.

[2]) Ita Meibomius docet ad Eucl. p. 42; equidem hanc glossam non potui invenire neque in Hesychio neque in Suida.

φωνιῶν συμφωνία ἡρμόσθη. ib. p. 17 med. ἁρμονία πέντε ἐπογδόων καὶ δυοῖν διέσεων. cfr. p. 27. Aristid. p. 17 fin. τὸ δὲ διὰ πασῶν, ἁρμονία (ἐκαλεῖτο παρὰ τοῖς παλαιοῖς) ib. p. 15: ἡ κατὰ διέσεις ἁρμονία est diapason systema per dieses descriptum. Hinc factum esse videtur ut harmoniae vocabulum universe traheretur ad systemata diapason maiora vel minora. Plat. Phileb. p. 17 C: ἐκ τούτων συστήματα γέγονεν, ἃ κατιδόντες οἱ πρόσθεν παρέδοσαν ἡμῖν τοῖς ἑπομένοις ἐκείνοις καλεῖν αὐτὰ ἁρμονίας. id. de Rep. IV, p. 443 E: ξυναρμόσαντα τρία ὄντα ὥσπερ ὅρους τρεῖς ἁρμονίας ἀτεχνῶς νεάτης τε καὶ ὑπάτης καὶ μέσης. Gaudent. p. 6: οἱ παλαιοὶ τὸν πάντων βαρύτατον φθόγγον, ἀφ᾽ οὗ τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τὸ ὀξὺ τῆς ἁρμονίας ἐποιοῦντο, προσλαμβανόμενον ἐκάλουν. Diapason minora systemata harmoniae vocabulo indicantur apud Aristoxenum p. 36 s. fin. περὶ αὐτῶν μόνον τῶν ἑπταχόρδων, ἃς ἐκάλουν ἁρμονίας, τὴν ἐπίσκεψιν ἐποιοῦντο (οἱ ἔμπροσθεν). Aristot. probl. XIX, 7: ἁρμονίαι ἑπτάχορδοι. cfr. ib. 25. 44. 47. — Ita vel tetrachorda vocantur ἁρμονίαι in Ionis fragmento apud Eucl. p. 19, quod sic restituit Bergkius Poett. lyr. p. 463.

ἑνδεκάχορδε λύρα, δεκαβάμονα τάξιν ἔχουσα,
τὰς συμφωνούσας ἁρμονίας τριόδους.

Iam cum in diapason speciebus vel figuris cernerentur *modorum* differentiae (quod Aristid. p. 18 v. 10 his verbis indicat: ἐκ τῆς τῶν ἐφεξῆς φθόγγων ἀκολουθίας τὴν τῆς ἁρμονίας ποιότητα φανερὰν γενέσθαι συμβαίνει), factum est ut hi ipsi, qui alias vocantur τόνοι vel τρόποι (Tonarten), ἁρμονίαι appellarentur. Plat. Lach. p. 188 D: μόνη Ἑλληνικὴ ἁρμονία, ubi ex oppositis δωριστί, φρυγιστί ceteris apparet, quid sit ἁρμονία. id. Rep. III, 398 E: τίνες οὖν θρηνώδεις ἁρμονίαι; — Μιξολυδιστί. Athenaeus XIV, p. 624 D sq. ἡ μὲν οὖν Δώριος ἁρμονία τὸ ἀνδρῶδες ἐμφαίνει. cfr. p. 637 D. Plut. de mus. p. 1137 A: οἱ παλαιοὶ πάντες οὐκ ἀπείρως ἔχοντες πασῶν τῶν ἁρμονιῶν ἐνίαις ἐχρήσαντο. Aristid. Quint. p. 21 init. γίνονται δὲ καὶ ἄλλαι τετραχορδικαὶ διαιρέσεις, αἷς καὶ οἱ παλαιότατοι πρὸς τὰς ἁρμονίας κέχρηνται. ib. p. 28 med. τούτων τῶν διαστημάτων ἡ χρεία πρὸς τὰς διαφορὰς τῶν ἁρμονιῶν[1]) παρείληπτο τοῖς παλαιοῖς.

Frequentissimus huius vocabuli usus apud ipsos artis scriptores est is, ut indicet melodiae vel modulandi genus tertium et recentissimum, quod alias vocatur γένος ἐναρμόνιον, quo significatu fere singulis pagellis occurrit. Eucl. p. 3: γένη δέ ἐστι τρία, διάτονον, χρῶμα, ἁρμονία. ib. p. 9: τὸ μὲν γὰρ ἡμιτόνιόν ἐστιν ἐν ἁρμονίᾳ ἀσύνθετον. cfr. p. 7 med. 11. fin. Aristid. p. 18: ἁρμονία, χρῶμα, διάτονον. Bacch. p. 11: ὅταν ἀπό τινος φθόγγου ἁρμονίας ἀνεθῶσι τρεῖς διέσεις. ibid. p. 14: μεταβολὴ ἐξ ἁρμονίας εἰς χρῶμα; Aristox. p. 2: τοὺς μὲν οὖν ἔμπροσθεν ἁρμονικοὺς εἶναι βούλεσθαι μόνον, αὐτῆς γὰρ τῆς ἁρμονίας ἥπτοντο μόνον. cfr. ibid. p. 23. 24. 26. 35. 73. Plut. de mus. p. 1141 B: τὸ τῆς ἁρμο-

---

1) Quod ad hunc locum Meibomius (p. 248) observavit, harmoniae vocabulum plurali numero positum *semper* intelligendum esse de veterum tonis seu modis, id non probatur locis supra adscriptis: Plat. Phil. p. 17 C. Aristox. p. 36. Aristot. probl. XIX, 7. 25. 44. 47.

νίας γένος. Ab enharmonio genere fortasse nomen traxit pars aliqua Olympi nomi in Minervam, quae *ἁρμονία* vocabatur secundum Plutarchum de mus. p. 1143 C: *ἡ γὰρ καλουμένη ἁρμονία ἐν τῷ τῆς Ἀθηνᾶς νόμῳ πολὺ διέστηκε κατὰ τὸ ἦθος τῆς ἀναπείρας*, quae quidem *ἀνάπειρα* etiam pars erat illius nomi.

Denique universe etiam *ἁρμονία* significat omnem rem vel scientiam harmonicam; Plat. Rep. VII, p. 531 A: *οὐκ οἶσθ᾽ ὅτι καὶ περὶ ἁρμονίας ἕτερον τοιοῦτον ποιοῦσιν;* ubi ex iis quae paullo supra p. 530 D. dicta sunt: *αὗται ἀλλήλων ἀδελφαί τινες αἱ ἐπιστῆμαι* (scil. *ἀστρονομία* et *ἁρμονία*) apparet, Platonem scientiam harmonicam dicere. Huc etiam referenda videntur Plutarchi verba de mus. p. 1138 C: *δείξομεν ἑξῆς ὅτι (Πλάτων) ἔμπειρος ἁρμονίας ἦν.*

ἁρμονικός. I. Adi. a) ad harmoniam vel harmonicam artem pertinens. Gaud. p. 1: *ἁρμονικοὶ λόγοι* sermones de harmonica. Plat. Tim. Locr. p. 96 E: *καθ᾽ ἁρμονικὼς λόγως* secundum rationes harmonicas. *ἁρμονικὴ ἀναλογία* apud Nicom. p. 15 est proportio huiusmodi 12: 8: 6 vel 12: 9: 6, et *μεσότητες ἁρμονικαί* ibid. et Plut. de mus. p. 1138 D. sunt in illis proportionibus numeri 8 et 9. — Scientia harmonica appellatur *ἁρμονικὴ ἐπιστήμη* Aristox. p. 8 et 39, vel *πραγματεία* ib. p. 39. Eucl. p. 2. Aristid. p. 31: *ὁ μὲν οὖν ἁρμονικὸς τῆς μουσικῆς τρόπος ἀρκούντως ἂν ἡμῖν ἔχοι,* i. e. ea musices pars, quae de harmonica agit. b) *τὸ ἁρμονικὸν γένος* idem est quod *ἐναρμόνιον γένος* vel *ἁρμονία*: Gaud. p. 5: *γένη δέ ἐστι τρία — καὶ ἔστιν ἐν τῷ ἁρμονικῷ τὸ πρῶτον διάστημα τέταρτον τόνου.* ib. p. 23 med. *ἐν τῷ ἁρμονικῷ καὶ χρωματικῷ γένει.* Plut. de mus. p. 1133 E: *οὗτος (ὁ πρῶτος Ὄλυμπος) — τοὺς νόμους τοὺς ἁρμονικοὺς ἐξήνεγκεν εἰς τὴν Ἑλλάδα.* II. Subst. a) *ὁ ἁρμονικός* est harmonicae peritus; Plat. Phaedr. p. 268 D: *μουσικὸς ἐντυχὼν ἀνδρὶ οἰομένῳ ἁρμονικῷ εἶναι.* ibid. E: *ἀνάγκη καὶ ταῦτ᾽ ἐπίστασθαι τὸν μέλλοντα ἁρμονικὸν ἔσεσθαι. Οἱ ἁρμονικοί* erant musicorum secta, quae ante Aristoxeni aetatem floruit. *αἱ τῶν ἁρμονικῶν δόξαι* Aristox. p. 2. *οἱ καλούμενοι ἁρμονικοί* ibid. p. 40. Cfr. praeterea p. 5. 7. 27. 37. Plut. de mus. p. 1134 D: *εἰ τῷ ὀρθίῳ νόμῳ ἐν τῇ μελοποιΐᾳ κέχρηται (ὁ Πολύμνηστος), καθάπερ οἱ ἁρμονικοί φασιν, οὐκ ἔχομεν ἀκριβῶς εἰπεῖν.* Nomen duxerunt inde, quod neglectis reliquis duobus generibus solam *ἁρμονίαν,* i. e. enharmonium genus, colebant, quo nomine reprehenduntur ab Aristoxeno p. 2: *τοὺς μὲν οὖν ἔμπροσθεν ἁρμονικοὺς εἶναι βούλεσθαι μόνον· αὐτῆς γὰρ τῆς ἁρμονίας ἥπτοντο μόνον· τῶν δ᾽ ἄλλων γενῶν οὐδεμίαν πώποτ᾽ ἔννοιαν εἶχον.* Eadem tradit Proclus ad Platonis Tim. libr. III: *παιδευτικοῦ τοῦ ἐναρμονίου ὄντος, ὥς εἴπομεν. καὶ γὰρ τοὺς τούτων τῶν μαθημάτων ἡγεμόνας διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἁρμονικοὺς ἐκάλουν.* Huc etiam refero Plutarchi verba de mus. p. 1143 F: *ὁ μόνον ἁρμονικὸς περιγέγραπται τρόπῳ τινί.* b) *ἡ ἁρμονική* scil. *τέχνη*, scientia harmonica, cuius septem esse partes has: *περὶ φθόγγων, περὶ διαστημάτων, περὶ συστημάτων, περὶ γενῶν, περὶ τόνων, περὶ μεταβολῶν, περὶ μελοποιΐας*, tradunt Alyp. p. 2. Aristox. p. 9. Anonym. p. 29 ed. Bellerm.; paullum

mutato ordine Euclid. p. 1. Aristox. p. 34—38. [1]) Gaud. p. 1 omissa quarta parte, quae est de generibus. Septimam partem, quae est de melopoeia, omittit Plutarchus de mus. p. 1142 F, ex cuius verbis apparet eum melopoeiam ab harmonica utpote scientia theoretica alienam esse censere. c) τὸ ἁρμονικόν vel τὰ ἁρμονικά, Plat. Charm. p. 170 C: *γιγνώσκεται τὸ ἁρμονικὸν μουσικῇ.* Aristox. p. 31 med. *τὰ ἁρμονικὰ ἀκούειν.* Plat. Phaedr. p. 268 E: *οὐ τὰ ἁρμονικὰ ἐπίστασαι.*

* ἀρτιοπαγής. *χορδαὶ ἀρτιοπαγεῖς* sunt chordae pari numero compactae Nicom. p. 22: *ἐν χορδαῖς ἀρτιοπαγέσιν ἀδύνατον μέσην μίαν ὑπάρξαι, ἀλλ' ἀναγκαίως ἑβδόμην τε καὶ ὀγδόην* (e. gr. in chordis quatuordecim).

ἀσύνθετος. Hoc vocabulum et quod ei est oppositum σύνθετος inter artis vocabula referenda sunt, ubi intervallorum nominibus iunguntur. Sunt enim intervalla *incomposita* ea, quae *per ordinem currunt* Mart. Capella p. 185 Meib. i. e. quae comprehenduntur sonis in certo aliquo systemate sive diatonico, sive chromatico, sive enharmonio deinceps sese excipientibus; contra *composita* sunt, quae continentur sonis non deinceps positis. Euclid. p. 8: *ἀσύνθετα διαστήματά ἐστι τὰ ὑπὸ τῶν ἑξῆς φθόγγων περιεχόμενα* — p. 9: *σύνθετα δὲ τὰ ὑπὸ τῶν μὴ ἑξῆς·* iisdem fere verbis rem explicant Aristides p. 13. et Aristox. p. 60; paullo uberius Gaudentius p. 5: *ἀσύνθετά ἐστι διαστήματα, ὅταν μεταξὺ τῶν περιεχομένων αὐτὰ φθόγγων μηδὲ εἷς δύνηται μελῳδεῖν* (scr. *μελῳδεῖσθαι*) *φθόγγος ἐμμελὴς πρὸς αὐτοὺς ἐν ἐκείνῳ τῷ γένει ἐν ᾧ τὸ ἀσύνθετον εἴληπται. σύνθετα δέ ἐστι διαστήματα ὧν μεταξὺ μελῳδεῖται φθόγγος ἢ φθόγγοι·* brevissimis verbis Bacchius p. 15: *σύνθετον διάστημα — — τὸ διαιρούμενον, ἀσύνθετον τὸ μὴ διαιρούμενον,* quibus congruunt quae Aristoxenus habet p. 29: *ἀσύνθετον διάστημα — — ὃ φωνὴ μελῳδοῦσα μὴ δύναται διαιρεῖν εἰς τὰ διαστήματα.* Non igitur magnitudine intervallum fit compositum aut non compositum, sed sonis continentibus, ut docet Aristox. p. 60 s. fin. *τῶν διαστηματικῶν μεγεθῶν ἔνια κοινὰ τυγχάνει ὄντα συνθέτου τε καὶ ἀσυνθέτου διαστήματος. διὰ γὰρ ταύτην τὴν αἰτίαν οὐ μεγέθει διαστήματος τὸ σύνθετον, ἀλλὰ τοῖς περιέχουσι φθόγγοις ἀφώρισται.* Ex quo loco simul patet posse idem intervallum in alio genere compositum esse in alio incompositum, velut in his systematis:

Diaton.	A	h		c		d	e		f		g	a
Chromat.	A	h		c	cis		e		f	fis		a
Enharm.[2])	A	h	×h	c			e	×e	f			a

intervallum c—e est compositum in genere diatonico et chromatico, continetur enim sonis in eodem genere non deinceps positis, incompositum autem in enharmonio, quo in genere soni c et e ordine sese excipiunt, item h—c intervallum incompositum est in chromatico et

---

[1]) Ibi p. 38 v. 19. pro *μελῳδίας* omnino scribendum est *μελοποιΐας.*

[2]) Signo × notavi diesin enharmoniam quae est quarta pars soni.

diatonico, compositum in enharmonio. Eadem docet Eucl. p. 9: ἔστι δέ τινα κοινὰ, συνθέτου καὶ ἀσυνθέτου διαστήματα, τὰ ἀπὸ ἡμιτονίου μέχρι διτόνου· cfr. praeterea Aristid. p. 14. Compositum autem intervallum simul systema esse indicat Aristoxenus p. 5 init. ἀναγκαῖον δὲ ἁπτομένοις ἡμῖν συνθέτων διαστημάτων, οἷς ἅμα καὶ συστήμασιν εἶναί πως συμβαίνει, περὶ συνθέτου ἔχειν τι λέγειν, et Gaud. p. 5: σύνθετα — διαστήματα — τὰ δὲ αὐτὰ καὶ συστήματα λέγονται. Hoc igitur significatu utrumque vocabulum saepissime occurrit apud musicos scriptores: διαστήματα ἀσύνθετα et σύνθετα Aristox. p. 4. 5. 16. 29. 40. Gaud. p. 4 fin. Eucl. p. 11 init. et med. μεγέθη ἀσύνθετα Aristox. p. 29. τόνος ἀσύνθετος Aristox. p. 60. Eucl. p. 18 s. fin. ἡμιτόνιον Plut. de mus. p. 1135 B. Nicom. p. 17 (Meib. τριημιτόνιον). δίεσις ἀσύνθετος Aristid. p. 28. τριημιτόνιον Nicom. p. 26. δίτονον ibid. Eucl. p. 18. Bacch. p. 15 s. fin. Aristox. p. 60 fin. Plut. de mus. p. 1135 B. Etiam substantivi loco usurpantur haec vocabula omissis intervallorum nominibus; ita in Aristoxeni locis p. 5 et 60. supra adscriptis apud eundem p. 62 init. ἐν ἑκάστῳ γένει τοσαῦτα ἀσύνθετα πλεῖστα, ὅσα ἐν τῷ διὰ πέντε ib. pluries et p. 65 v. 20. Eucl. p. 13 fin. σχήματα ἐκ τῶν αὐτῶν ἀσυνθέτων συγκείμενα.

βατήρ. Hoc vocabulum quod proprie significat *limen* apud musicos est tibiae pars infima opposita τῇ γλωσσίδι, *lingulae*, ut apparet ex verbis Nicom. p. 19: ὁ δ' αὐτὸς (scil. ὁ ἀπὸ τοῦ μέσου τρυπήματος φθόγγος) πρὸς τὸν ἀπὸ τοῦ ὑπ' αὐτὸν, κειμένου δὲ πρὸς τῷ βατῆρι, κατωτάτου τρυπήματος, ἡμιόλιος. — Porro βατήρ est instrumentorum quae intenduntur pars ea, qua chordae adligantur (*Saitenhalter*) sita in inferiore parte instrumenti exadversum claviculis. Vocabatur autem haec instrumenti pars a Pythagora χορδότονον (quod vocabulum etiam a Polluce IV, 62 inter μέρη τῶν ὀργάνων enumeratur). — Nicom. p. 13: μετέθηκεν εὐμηχάνως (scil. Πυθαγόρας) τὴν μὲν τῶν χορδῶν κοινὴν ἀπόδοσιν τὴν ἐκ τοῦ διαγωνίου πασσάλου εἰς τὸν τοῦ ὀργάνου βατῆρα, ὃν χορδότονον ὠνόμαζεν.

* βομβυκέστερος. Hoc vocabulum quid significet, priusquam recte statuere possimus, videndum est quid sit βόμβυξ, a quo derivatum illud.[1]) Atque βόμβυξ voc. Schol. Aristot. p. 832 a 45 explicat τὸ μέγιστον καὶ πρῶτον τρύπημα τοῦ αὐλοῦ. Cum his Scholiastae verbis si accurate comparamus, quae Nicomachus p. 19 v. 14 sqq. de tibia tribus

---

[1]) Huius vocabuli formam quo defendam non habeo; namque ex βόμβυξ, si vere inde derivatum est, fieri debuit adiectivum βομβυκώδης eiusque comparativus βομβυκωδέστερος, ut κηρυκώδης a κήρυξ. In mentem venit βομβωδέστερον scribere in Nicomachi locis; certe βομβώδης adiectivum eo sensu legitur apud Aelian. N. A. VI, 37: ἦχόν τινα βομβώδη ἀφίησι καὶ τραχύν. ib. IV, 51: προΐεσθαι ἦχον βομβώδη. et βομβῶδες ῥῆμα ex Eustath. p. 1065, 16. et βομβώδη ψόφον ex Macario Chrysoceph. in Villois. Anecd. vol. 2 p. 8 affert Dindorfius in Steph. thes. s. v.

foraminibus in quatuor aequales partes distributa narrat, colligere licebit, tibiam eiusmodi praeter tria illa foramina, quae modo claudebantur modo aperiebantur, principale quoddam habuisse foramen minimo distans intervallo a lingula, quod factum esset non ut clauderetur aut aperiretur, sed ut spiritus per lingulam inflatus hac via interiorem tibiae partem intraret et aera ibi conclusum moveret. Iam reliquis omnibus praeter principale illud foraminibus clausis tibia gravissimum edit sonum, quem Nicom. l. l. vocat *τὸν ἀπὸ τοῦ ὅλου αὐλοῦ*. Is autem facile poterat videri ab ipso isto principali foramine edi; atque ita fortasse factum est, ut illi *βόμβυκι* soni gravitas attribueretur. Quae si vera sunt, significabit voc. *βομβυκέστερος* proprie id, quod eius soni naturam refert, qui edi videtur a principali illo foramine, deinde omnino graviorum sonorum indolem indicat. Certe ita Nicomachus p. 10 utitur hoc vocabulo, qui postquam exposuit, Pythagoram antiquum septem chordarum systema hoc:

ὑπάτη,	*παρυπάτη,*	*λιχανός,*	*μέση,*	*παραμέση,*	*παρανήτη,*	*νήτη*
h	c	d	e	f	g	a

interposito inter mesen et paramesen novo sono, integrum tonum distante a mese, mutasse in octo chordarum systema hoc:

ὑπάτη,	*παρυπάτη,*	*λιχανός,*	*μέση,*	*παραμέση,*	*τρίτη,*	*παρανήτη,*	*νήτη*
h	c	d	e	fis	g	a	h

ita pergit: *ὁ δὲ μεταξὺ ἀμφοτέρων τόνος, μέσης τε καὶ τῆς παρεντεθείσης, ὀνομασθείσης ἀντὶ τῆς προτέρας παραμέσης, ὁποτέρῳ ἂν τετραχόρδῳ προστεθῇ εἴτε τῷ πρὸς τῇ ὑπάτῃ νητοειδέστερος, εἴτε πρὸς τῇ νήτῃ βομβυκέστερος, τὴν διὰ πέντε συμφωνίαν ἀποδείξει.* Quibus in verbis maxime ex opposito *νητοειδέστερος* apparet, quid sit *βομβυκέστερος*· etenim tonus ille integer e-fis interpositus inter mesen et paramesen, ad hypaten comparatus, est *νητοειδέστερος* i. e. acutiorum sonorum habet naturam, vel locum acutiorem tenet; contra ad neten relatus, graviorum sonorum prae se fert indolem. — Neque aliter hoc vocabulum intelligi potest eo loco, qui legitur apud eundem Nicom. p. 20, ubi de vocis ambitu disputans haec dicit: *τοσοῦτον γὰρ* (scil. *τὸ δὶς διὰ πασῶν*) *ἡ ἐναγώνιος φωνὴ διανύει χωρὶς κινδύνου τινὸς ἢ ὀλισθήματος, ἐφ᾽ ἑκάτερον ἄκρον δυσέμπτωτος γινομένη, εἰς μὲν κοκκυσμὸν κατὰ τὸ νητοειδές· εἰς δὲ βηχίαν κατὰ τὸ βομβυκέστερον,* ubi ex oppositis verbis *κατὰ τὸ νητοειδὲς* apparet, *τὸ βομβυκέστερον* esse graviorum sonorum quasi regionem (*die tiefere Stimmlage*).

διάγραμμα est sonorum qui sunt in systemate expositio et descriptio per notas musicas, quam nostri musici vocant *Scala* vel *Tonleiter*. Ita Eucl. p. 22 *διάγραμμα* definit: *σχῆμα ἐπίπεδον τὰς τῶν μελῳδουμένων περιέχον δυνάμεις.* Bacch. p. 15: *διάγραμμα δὲ τί ἐστι; συστήματος ὑπόδειγμα· ἢ οὕτως, διάγραμμά ἐστι σχῆμα ἐπίπεδον, εἰς ὃ πᾶν γένος μελῳδεῖται. διαγράμματι δὲ χρώμεθα, ἵνα τὰ τῇ ἀκοῇ δύσληπτα πρὸ ὀφθαλμῶν

τοῖς μανθάνουσι φαίνηται. Aristox. p. 2: τὰ διαγράμματα αὐτῶν (τῶν ἁρμονικῶν) ἐδήλου τὴν πᾶσαν τῆς μελῳδίας τάξιν. Gaud. p. 6: διάγραμμα τῶν τριῶν γενῶν ἐν ἑνὶ τετραχόρδῳ. Athen. VIII, p. 352 C: Στρατόνικος — πρῶτος μαθητὰς τῶν ἁρμονικῶν ἔλαβε καὶ διάγραμμα συνεστήσατο.

διαζεύγνυμι. vide συνάπτω.

διάζευξις. vide συναφή.

διαμένω idem quod μένειν Aristox. p. 49 v. 4: οὐ γὰρ ὁμοίως κινεῖται (τὸ γένος) τῶν μεγεθῶν κινουμένων μέχρι τινός, ἀλλὰ διαμένει· τούτου δὲ μένοντος, εἰκὸς καὶ τὰς τῶν φθόγγων δυνάμεις διαμένειν.

διαστηματικός. Quae sit κίνησις τῆς φωνῆς διαστηματική vide s. v. κίνησις, φθόγγοι διαστ. Alyp. p. 1. φωνὴ διαστημ. Gaud. p. 2. vide ibid.

* διαψηλάφημα est fidium cantus sine rhythmo. Anonym. script. de musica sect. 3 et 85. vide Bellermannum ad locum priorem p. 21 fin.

διπλασιεπιδιμερής. λόγος διπλ. est ratio dupla superbipartiens tertias, quam habent 8 ad 3. Psell. mus. synops. p. 184 v. 6 ed. Alardi (p. 5 fin. ed. Wecheli Paris. 1556) τοῦ δὲ διὰ πασῶν καὶ δὶς διὰ τεσσάρων (λόγος) διπλασιεπιμερής[1]). ibid. p. 184 v. 12 (p. 6 init. Wechel.) οἷον ὡς ἐπὶ ὑποδείγματος κείσθω πρῶτος ἐν ἀριθμοῖς ὅρος ὁ ἕκτος ἡμῖν ἀριθμός, πρὸς ὃν πάντως ἐπίτριτος ὁ ὄγδοος — — —, διπλασιεπιδιμερὴς ὁ ἑξκαιδέκατος, τὸν ἕκτον δὶς ἔχων (Alard. male: ἕκτον δὶς τὸ ἔχων) καὶ δύο μέρη αὐτοῦ.

διπλασιεπιδίμοιρος. λόγος διπλ. est ratio dupla superbipartiens tertias, in qua est diapason et diatessaron consonantia:

$$\begin{array}{c} C : c = 2 : 1 \\ c : f = 4 : 3 \\ \hline C : f = 8 : 3 \end{array}$$

Gaud. p. 13 med: τῆς δὲ διὰ πασῶν τε ἅμα καὶ διὰ τεσσάρων (λόγος) διπλασιεπιδίμοιρος, ὃν ἔχει τὰ $\overline{\kappa\delta}$ πρὸς τὸν $\overline{\vartheta}$. Quae quidem ratio in Steph. Thes. ed. Paris. s. v. διπλασιεπιδίμοιρος non recte appellatur *dupla sesquidimidia*; haec enim ratio esset $3 : 7\frac{1}{2}$.

---

[1]) Ita utroque loco scriptum est apud Alardum, quod licet non plane absonum sit, tamen aptius est quod altero loco scriptum est in Wecheli editione διπλασιεπιδιμερής· namque διπλασιεπιμερής hoc tantum significat, duorum numerorum maiorem continere minoris duplum et aliquot partes, cfr. Theon. Smyrn. p. 121 (ed. Bulliald.); quod vero Pselli locis requiritur, accuratius exprimitur vocabulo διπλασιεπιδιμερής· hoc enim significat rationem duplam superbipartientem i. e. duplam cum besse, ut 6 ad 16 vel 1 ad $2^2/_3$. Ceterum in verbis διὰ πασῶν καὶ δὶς διὰ τεσσάρων et quae statim sequuntur τοῦ διὰ πασῶν καὶ δὶς διὰ πέντε (λόγος) τριπλάσιος delendum est illud δίς· namque diatessaron et diapente consonantiae bis appositae ad diapason consonantiam neque consonantias efficiunt, neque habent rationes supra dictas.

δύναμις. Hoc vocabulum quem habeat significatum apud musicos brevissimis verbis Euclides p. 22 explicat: *δύναμις δέ ἐστι τάξις φθόγγου ἐν συστήματι, δι᾽ ἧς γνωρίζομεν τῶν φθόγγων ἕκαστον.* Est igitur *φθόγγου δύναμις*, ut plenius plerumque dicitur, gradus quem quisque sonus in certo aliquo systemate obtinet, non spectata tensione sed ceterorum eiusdem systematis sonorum ratione habita. Hoc sensu saepissime legitur apud musicos scriptores. Eucl. p. 18: *ἔστι δὲ μέση φθόγγου δύναμις, ᾧ συμβέβηκεν — ἐπὶ μὲν τὸ ὀξὺ τόνον ἔχειν ἀσύνθετον κτλ.* ib. p. 19 init. *ἀπὸ δὲ τῆς μέσης καὶ τῶν λοιπῶν φθόγγων αἱ δυνάμεις γνωρίζονται.* p. 22: *διάγραμμα (ἐστὶ) σχῆμα ἐπίπεδον, τὰς τῶν μελῳδουμένων περιέχον δυνάμεις.* Gaud. p. 15 s. fin. *ἐκκείσθω γάρ τις φθόγγου δύναμις ἐν ἀριθμῷ τῷ ξδ.* apud eundem Gaud. p. 22: *προσλαμβανόμενος*, i. e. gravissimus systematis sonus vocatur *φθόγγου δύναμις βαρυτάτη καὶ πρώτως ἀκουστή.* Bacch. p. 16: *πᾶς φθόγγος ἔχει σχῆμα, ὄνομα, δύναμιν.* Aristox. p. 47: *νήτη μὲν καὶ μέση παρανήτης καὶ λιχανοῦ διαφέρει κατὰ τὴν δύναμιν*, hoc est, diversos in eodem systemate gradus obtinent, quum in tetrachordis netes ad paraneten eadem sit ratio ac meses ad lichanum. Plut. de mus. p. 1143 E: *τριῶν δ᾽ ὄντων γενῶν, ἴσων τοῖς τε τῶν συστημάτων μεγέθεσι καὶ ταῖς τῶν φθόγγων δυνάμεσιν.* Gaud. p. 9: *συνάγονται φθόγγων δυνάμεις τὸν ἀριθμὸν ἕνδεκα* (scil. *ἐν τῷ ἐλάσσονι συστήματι*). cfr. ib. p. 10. Hae sonorum potestates denotantur notis musicis: Gaud. p. 23. s. fin. *ὁ μὲν οὖν πρῶτος στίχος τῶν σημείων, ἐν τοῖς φθόγγοις βαρύτητος δύναμιν σημαίνων, ἔχει σημεῖα κτλ.* ibid. p. 24: (*σημεῖα*) *τὴν αὐτὴν δύναμιν σημαίνοντα·* dicuntur etiam *κινεῖσθαι* et *διαμένειν*: Aristox. p. 49: *τούτου* (scil. *τοῦ γένους*) *μένοντος εἰκὸς καὶ τὰς τῶν φθόγγων δυνάμεις διαμένειν*, et p. 34 init. *μένοντος τοῦ μεγέθους* (scil. *τῶν τετραχόρδων*) *συμβαίνει κινεῖσθαι τὰς τῶν φθόγγων δυνάμεις*, quod quid sit ipse Aristoxenus verbis antecedentibus explicat: *ὅταν μένοντος τοῦ μεγέθους τόδε μὲν καλῶμεν ὑπάτην καὶ μέσην, τόδε δὲ παραμέσην καὶ νήτην·* etenim in his exemplis eadem quidem manet intervalli magnitudo, quae est diatessaron, sed sonorum quibus continetur utrumque intervallum potestates non sunt eaedem, nam intervalla diversis systematis locis collocata sunt. Recte etiam Aristoxenus p. 36 dicit: *πᾶν διαστήματος μέγεθος πλειόνων τινῶν δυνάμεων κοινόν ἐστι*, nam quodque intervallum in certo aliquo systemate variis locis collocari potest. Eodem referenda sunt quae leguntur p. 33: *τῇ μὲν γὰρ ἀκοῇ κρίνομεν τὰ τῶν διαστημάτων μεγέθη, τῇ δὲ διανοίᾳ θεωροῦμεν τὰς τούτων δυνάμεις·* solius enim auditus est (certe ex Aristoxeni sententia) iudicare, num vere diatessaron aut diapason consonantias duo soni resonent, intellectus vero, quo certi cuiusdam systematis loco ponendi sint isti soni.

Magis etiam vocabuli *δύναμις* vera vis ac potestas elucescit ex iis quae saepius opponuntur illi vocibus. Ita Eucl. p. 3 init. haec habet: *φθόγγοι δέ εἰσι τῇ μὲν τάσει ἄπειροι, τῇ δὲ δυνάμει καθ᾽ ἕκαστον γένος δεκαοκτώ* h. e. soni, si solam tensionem spectamus, innumeri multitudine possunt cogitari (vide quae sunt exposita ad vocem *τάσις*); at sonorum gradus in eo

quod erat receptum systemate immutabili, duodeviginti tantum erant[1]). Optime hic locus illustratur Bryennii verbis libr. I cp. IV, qui non *τάσις*, sed *φύσις* opponit vocabulo *δύναμις*: *φθόγγοι δέ εἰσι τῇ μὲν φύσει ἄπειροι, καθότι καὶ ὁ τόπος τῆς φωνῆς συνεχὴς ὢν ἐξ ἀνάγκης καὶ τοὺς ὅρους ἀπείρους ἔχει, ἐν οἷς ἂν αὕτη δύναιτο πάντως μονὰς καὶ στάσεις ποιεῖσθαι· τῇ δὲ δυνάμει, ταὐτὸ δ' εἰπεῖν, τῇ ἐν ὀργάνῳ ἐκφωνήσει καὶ τάξει, καθ' ἕκαστον γένος κατὰ Πτολεμαῖον πεντεκαίδεκα οἱ προκατειλεγμένοι.* Idem discrimen Aristides facit p. 12: *ὁμόφωνοι δὲ (φθόγγοι εἰσὶν) οἵτινες δύναμιν μὲν ἀλλοίαν, τάσιν δὲ ἴσην ἐπέχουσιν·* potest enim idem sonus esse *ὑπάτη ὑπατῶν* in alio systemate, *προσλαμβανόμενος* in alio, h. e. habet aliam in alio systemate potestatem, sed tamen eandem tensionem. Huc etiam referendus videtur Aristoxeni locus p. 36, ubi de sonis quaeritur, *πότερον τάσεις τινές εισιν, ὥσπερ οἱ πολλοὶ ὑπολαμβάνουσιν, ἢ δυνάμεις.* Similiter Bacchius p. 7 opponit inter se *πλῆθος* et *δύναμις* vocabula: *πόσα οὖν ἐστι τετράχορδα ἐν τῷ ἀμεταβόλῳ συστήματι; κατὰ μὲν τὸ πλῆθος ἀόριστα, κατὰ δὲ δύναμιν πέντε.* Uberius eadem fere Aristoxenus p. 69 sic exprimit: *κατὰ μὲν οὖν τὰ μεγέθη τῶν διαστημάτων ἢ τὰς τῶν φθόγγων τάσεις ἄπειρά πως φαίνεται εἶναι τὰ περὶ μέλος· κατὰ δὲ τὰς δυνάμεις καὶ κατὰ τὰς θέσεις πεπερασμένα τε καὶ τεταγμένα.*

Praeterea opponuntur etiam *θέσις* et *δύναμις*· quae quidem vocabula quid significent ita inter se opposita optime Bellermannus exposuit ad Anonymum p. 10 not. 7, cuius verba integra adponam: „Nominibus hypate hypaton, lichano meson, paramese, ceteris gradus tantummodo, quos in scalis singuli soni obtinent, sive rationes ad primarium systematis sonum sive proslambanomenon notantur, non ipsa per se spectata tensio, quam veteres scribendo quidem, ut nos nostris, ita suis notis musicis indicare poterant, loquendo tamen non aliter, nisi ut illis intervallorum nominibus nomina modorum, Phrygii, Lydii, ceterorum adiicerent. Itaque ut simplices, certi alicuius systematis ratione non habita, sonorum tensiones signarent, unius Dorii modi nominibus utebantur, additis vocibus *κατὰ θέσιν* sive *παρὰ θέσιν* sive *θέσει*, quibus oppositae sunt voces *κατὰ δύναμιν, παρὰ δύναμιν, δυνάμει*, quae solum systematis gradum omissa tensionis ratione indicant.“ Huius rei auctor est Ptolemaeus, qui Harmon. libr. II, cp. 5, p. 108 ed. Wall. Oxon. 1682 haec habet: *τοὺς δὲ τοῦ τῷ ὄντι τελείου καὶ δὶς διὰ πασῶν φθόγγους, πεντεκαίδεκα συνισταμένους — — ποτὲ μὲν παρ' αὐτὴν τὴν θέσιν, τὸ ὀξύτερον ἁπλῶς ἢ βαρύτερον ὀνομάζομεν* (sequuntur sonorum nomina, excepto *συνημμένων* tetrachordo, quippe quod expunxerit Ptolemaeus), *ποτὲ δὲ παρὰ τὴν δύναμιν αὐτὴν, τὸ πρός τί πως ἔχον· ᾧ δὴ πρότερον ἐφαρμόσαντες ταῖς θέσεσι τὰς κατὰ τὸ καλούμενον ἀμετάβολον σύστημα δυνάμεις τοῦ δὶς διὰ πασῶν· εἶτα κοινὰς ἐπ' αὐτοῦ ποιησάμενοι τὰς κατηγορίας τῶν τε θέσεων καὶ τῶν δυνάμεων μεταλαμβάνομεν αὐτὰς ἐπὶ τῶν ἄλλων.* Ad hanc rem

[1]) Non satis accurate et loquendi usum migrans Aristides p. 9 med. dicit: *φθόγγων δὲ δυνάμεις ἄπειροι μέν εἰσι τῇ φύσει· αἱ δὲ παραδεδομέναι συλλήβδην καθ' ἕκαστον τῶν γενῶν εἰκοσιοκτώ.*

illustrandam adponam unum ex diagrammatis quae sunt apud Ptolemaeum libr. II, cp. 11, et quidem modi Hypodorii, quod descriptum est p. 147.



Est igitur *μέση Ὑποδωρίου* sive octavus sonus modi Hypodorii *κατὰ δύναμιν* sonus *f*, qui idem est *ὑπάτη μέσων κατὰ θέσιν* sive quintus sonus modi Dorii; et sic porro de ceteris sonis; cfr. praeterea Ptolem. II, cp. 11 p. 136: *κατὰ τοὺς μεταξύ πως τοῦ τελείου συστήματος τόπους, τοῦτ᾽ ἔστι, τοὺς ἀπὸ τῆς τῇ θέσει τῶν μέσων ὑπάτης ἐπὶ τὴν νήτην διεζευγμένων,* et paullo post: *ἡ τοῦ Μιξολυδίου μέση κατὰ τὴν δύναμιν.* ibid. p. 139: *τῆς μὲν γὰρ τοῦ ὑποδωρίου, φέρε εἰπεῖν, τῇ δυνάμει μέσης, συνεζευγμένης τῇ κατὰ τὴν θέσιν τῶν μέσων ὑπάτῃ.*

εἶδος. *τῆς φωνῆς εἶδος συνεχές* et *διαστηματικόν* vel *ἐνῳδόν* Nicom. p. 3 et 4. *πολυμερές* et *ἀμερές* Aristid. p. 8. quid sit vide s. voc. *κίνησις* ibique not. 1.

* *ἐμμετάβολος* est mutationem et transitum aut continens in se aut efficiens. Ita *ἀγωγῆς* species tertia, quae est *περιφερής*, vocatur *ἡ ἐμμετάβολος* Aristid. p. 19 i. e. quae transitum efficit ex uno in alterum modum, quod ipse Aristides p. 29 sic exprimit: *αὕτη δὲ κἀν ταῖς μεταβολαῖς θεωρεῖται.* Etiam de systematis dicitur voc. *ἐμμετάβολος.* Apud Euclidem p. 12 med. inter systematis differentias enumeratur *ἡ τοῦ ἀμεταβόλου καὶ ἐμμεταβόλου (διαφορά)* cfr. ibid. p. 18 med. *τῇ δὲ τοῦ ἀμεταβόλου καὶ ἐμμεταβόλου διοίσει, καθ᾽ ἣν διαφέρει τὰ ἁπλᾶ συστήματα τῶν μὴ ἁπλῶν.* Accuratiore huius rei explicatione hoc loco abstinere debemus, quod totam de systematis doctrinam propter circumscriptos huius scriptionis fines omittere debuimus.

ἐνηρέμησις. Anonym. Bellerm. p. 29 sect. 21: *τάσις δὲ οἷον στάσις καὶ ἐνηρέμησις τῆς φωνῆς.*

ἐνῳδός, **cantui aptus.** *εἶδος τῆς φωνῆς ἐνῳδόν* Nicom. p. 3 et 4 idem est, quod *κίνησις τῆς φωνῆς διαστηματική·* cfr. ibid. p. 5: *φωνὴ ἐνῳδός.* Adverb. *ἐνῳδῶς προχωρεῖ (ἡ φωνή)* ibid. p. 5 fin. De re vide voc. *κίνησις.*

ἐξαλλάττω. Passivum huius verbi idem significat quod *κινεῖσθαι* ubi de sonis mobilibus dicitur. Nicom. p. 26 v. 25: *ἐν τῷ ἐναρμονίῳ οἱ δύο μέσοι ἐξηλλάγησαν.*

ἐπισυναφή est cum tria tetrachorda deinceps posita per binos sonos communes inter se coniunguntur ita

H c d e f g a b c d

Bacch. p. 21: *ἐπισυναφὴ δέ ἐστιν, ὅταν τρία τετράχορδα κατὰ συναφὴν ἑξῆς μελῳδηθῇ· οἷον ὑπατῶν, μέσων, συνημμένων.*

ἐπίτασις, **intentio**[1]) et *ἄνεσις* ***remissio*** proprie dicuntur ut *ἐπιτείνειν* et *ἀνιέναι* verba de chordis: Plat. Polit. I, p. 349 E: *ἐν τῇ ἐπιτάσει καὶ ἀνέσει τῶν χορδῶν·* etiam de pulmonum spiritu utrumque vocabulum usurpatur apud Theon. Smyrn. p. 89: *διὰ τῆς ἐπιτάσεως καὶ ἀνέσεως τοῦ πνεύματος*, quae eadem habet Psellus p. 185 Al. (p. 6 Wech.). Significat autem utrumque vocabulum id quod fit in temperandis instrumentis, ut

[1]) Ita vertit Gell. 7, 7; minus recte Vitruvius V, 4, 2: ***terminatio.***

cum intendentes nervum vel remittentes simul pulsemus, continua quaedam efficiatur sonituum series, quorum singuli et quae inter singulos sint intervalla auditu discerni non possint. Hoc significatu utraque voce utitur Aristoxenus p. 10, ubi docet in cantu ipsas intentiones et remissiones apparere non debere: *δεῖ τὴν φωνὴν ἐν τῷ μελῳδεῖν τὰς ἐπιτάσεις τε καὶ ἀνέσεις ἀφανεῖς ποιεῖσθαι.* cfr. Eucl. p. 2: *ἡ μὲν οὖν συνεχὴς κίνησις τῆς φωνῆς τάς τε ἐπιτάσεις καὶ τὰς ἀνέσεις ἀφανῶς ποιεῖται,* et Aristid. p. 7 med. *συνεχής ἐστι φωνή, ἡ τάς τε ἀνέσεις καὶ ἐπιτάσεις λεληθότως διά τι τάχος ποιουμένη.* Itaque ad ipsam vocem sive humanam sive organicam relata *ἐπίτασις* et *ἄνεσις* significabit vocis continuum motum per minutissima intervalla aut a gravitate in acumen aut contra. Quod sic definit Gaud. p. 3: *ἡ τῆς φωνῆς κίνησις ἐκ βαρυτέρας* (scr. *βαρυτέρου*) *μὲν εἰς ὀξύτερον ἰούσης τόπον, ἐπίτασις· ἀνάπαλιν δὲ ἄνεσις καλεῖταί τε καὶ ἔστιν·* paullo accuratius Aristox. p. 10 addito vocabulo *συεχής*: *ἡ μὲν οὖν ἐπίτασίς ἐστι κίνησις τῆς φωνῆς συνεχὴς ἐκ βαρυτέρου τόπου εἰς ὀξύτερον· ἡ δὲ ἄνεσις ἐξ ὀξυτέρου τόπου εἰς βαρύτερον·* Eadem fere habet Aristides p. 8 s. fin. praeterquam quod *ἐπίτασιν* et *ἄνεσιν* autumat *τάσεως* esse species: *τάσις δέ ἐστι μονὴ καὶ στάσις τῆς φωνῆς· ταύτης δὲ εἴδη δύο, ἄνεσίς τε καὶ ἐπίτασις·* quod minime ita se habere demonstratum est ab Aristoxeno p. 11 fin.—13. Vituperat autem idem Aristoxenus etiam eos, qui intentionem et remissionem idem esse dicant, quod acumen et gravitatem, p. 10 fin. *σχεδὸν οἵ γε πολλοὶ ἐπίτασιν ὀξύτητι ταὐτὸ λέγουσιν, ἄνεσιν δὲ βαρύτητι·* bene enim tenendum est *ἐπίτασιν* et *ἄνεσιν* significare ipsum vocis motum, non motus eventum, quod est acumen aut gravitas, ut recte docet idem Aristoxenus p. 11 med. *ἦν ἡ μὲν ἐπίτασις κινουμένης τῆς χορδῆς, ἡ δὲ ὀξύτης ἠρεμούσης ἤδη καὶ ἑστηκυίας. ταὐτὰ δ' ἐροῦμεν καὶ περὶ ἀνέσεώς τε καὶ βαρύτητος — —. δῆλον δὲ ὅτι ἥ τε ἄνεσις τῆς βαρύτητος ἕτερόν τί ἐστιν ὡς τὸ ποιοῦν τοῦ ποιουμένου, ἥ τε ἐπίτασις τῆς ὀξύτητος.* Gaud. p. 3: *ἐπίτασις μὲν οὖν ὀξύτητος ποιητική· καὶ βαρύτητος δὲ ἡ ἄνεσις.* Euclid. p. 2 med. *τὰ ποιοῦντα τὴν τῶν τάσεων διαφορὰν ἐπίτασίς ἐστι καί ἄνεσις — —· καὶ ὀξύτης μὲν οὖν ἐστι τὸ δι' ἐπιτάσεως γινόμενον ἀποτέλεσμα, βαρύτης δὲ τὸ δι' ἀνέσεως.* Cfr. Aristox. p. 10 s. fin.

Ut dicitur *ἐπιτείνειν* et *ἀνιέναι τόνον, δίεσιν, μελῳδίαν* alia, ita etiam *ἐπίτασις* et *ἄνεσις* significat vocis motum per sonos intervallis discretos, hoc vero est id, ut unum vel plura intervalla sive in acumen sive in gravitatem versus canantur. Huc referenda sunt Bacchii verba, qui p. 11 fin. *ἐπίτασιν* et *ἄνεσιν* vocat *πάθη τῆς μελῳδίας*, et p. 12 ita definit: *κίνησις τῶν μελῶν ἀπὸ τοῦ ὀξυτέρου φθόγγου εἰς τὸν βαρύτερον*, et contra. Ita dicitur Aristid. p. 28: *τριῶν διέσεων ἀσυνθέτων ἄνεσις* et *τοῦ αὐτοῦ διαστήματος ἐπίτασις.* ibid: *πέντε διέσεων ἐπίτασις.* Nicom. p. 32: *τόνου ἐπίτασις* et *ἄνεσις.* ibid. p. 32 med. *ἐν μὲν τῷ κατα τὴν ἐπίτασιν ἐπογδόῳ ἀριθμῷ εὑρεθήσεται ὁ κζ, ἐν δὲ τῷ κατὰ τὴν ἄνεσιν ὁ λβ.* Aristox. p. 22: *ἐπιτάσεις καὶ ἀνέσεις τῶν κινεῖσθαι πεφυκότων φθόγγων αἴτιαί εἰσι τῆς τῶν γενῶν διαφορᾶς.*

ἐπιτείνω **intendo** et *ἀνίημι* **remitto** verba dicuntur proprie de instrumentorum chordis. Plat. Lys. p. 209 B: *ἐπιτεῖναί τε καὶ ἀνεῖναι ἣν ἂν βούλῃ τῶν χορδῶν.* Aristox. p. 11 v. 9: *ἐπιτείνοντες εἰς ὀξύτητα τὴν χορδήν.* et paullo supra: *ὅταν ἁρμοττόμενοι τῶν χορδῶν ἑκάστην ἀνιῶμεν ἢ ἐπιτείνωμεν.* Ipsa etiam instrumenta intendi et remitti dicuntur, ut lyra apud Plut. de educ. liber. p. 9 C: *καὶ γὰρ τὰ τόξα καὶ τὰς λύρας ἀνίεμεν ἵνα ἐπιτεῖναι δυνηθῶμεν*, tibia apud Nicom. p. 9: *ἐπιτείνοντες τὸν αὐλὸν* (ita enim recte Meibomius scribi iubet pro *τὸν αὐτὸν*) *καὶ ἀνιέντες, ἢ μῆκος τοῖς κώλοις ἢ βραχύτητα ἐνεργαζόμενοι*, hoc vero est digitis imponendis vel removendis tibiarum membra longiora aut breviora reddere atque ita sonos graviores aut acutiores proferre. Ita etiam vox dicitur intendi et remitti, Gaud. p. 2: *κίνησις φωνῆς — ἐπιτεινομένης τε καὶ ἀνιεμένης.* cfr. Aristox. p. 10 med. et p. 32. De sonis etiam usurpatur utrumque verbum ita, ut significet sonum paullo acutiorem aut graviorem reddere; Aristox. p. 23 s. fin. *ἥ τε παρυπάτη καὶ ἡ λιχανὸς, ἡ μὲν ἀνιεμένη ἡ δὲ ἐπιτεινομένη.* cfr. ibid. p. 47. Deinde haec verba ita ponuntur, ut obiecti loco non iam iis iungatur id, quod vere intenditur aut remittitur, velut chorda, tibia alia, sed soni aut intervalla, quae intendendo aut remittendo canuntur in acumen aut gravitatem. Bacch. p. 2: *δίεσίς ἐστιν, ὃ δύναται ἡ ἡμετέρα φύσις ἐμμελῶς ἐλάχιστον ἀνεῖναι καὶ ἐπιτεῖναι.* Eucl. p. 2: *ὥστε τοὺς μὲν ὀξυτέρους (φθόγγους) τοῦ δέοντος ἀνιεμένους ἀφαιρέσει κινήσεων τυγχάνειν τοῦ δέοντος, τοὺς δὲ βαρυτέρους ἐπιτεινομένους.* Bacch. p. 9 med. *διαστήματα — ἀνίεται καὶ ἐπιτείνεται.* ib. p. 11: *ὅταν ἀνεθῶσι τρεῖς διέσεις — ἐπιταθῶσι πέντε διέσεις.* — Ita dicitur: *ἐπιτείνειν ἡμιτόνιον* Aristid. p. 11 init. p. 26 v. 5. *τόνον* ibid. p. 11 med. Nicom. p. 30. 31. 32. *ἀνίεμεν τόνον* Nicom. p. 33. *ἀνίεται διὰ τεσσάρων καὶ διὰ πέντε* Bacch. p. 15 fin. *μέση — ἀφ' ἧς τόνος καὶ πυκνὸν ἐπιταθήσεται* ibid. 16 init. *ἀνίεται διὰ πασῶν καὶ ἐπιτείνεται δ. π.* ibid. p. 16. *ἔκλυσις μὲν γὰρ ἀνίεται, ἐκβολὴ δὲ ἐπιτείνεται* ibid. p. 9. *πυκνὸν χρῶμα* (?) *ἀνίεται καὶ ἐκλύεται* Eucl. p. 11 med. Tetrachorda etiam intendi et remitti dicuntur Aristid. p. 19: *εἴ τις κατὰ συναφὴν τετράχορδον ἐπιτείνας ταὐτὸν ἀνείη τῷ* (?) *κατὰ διάζευξιν.* Nicom. p. 20: *τὸ ἐπιταθὲν τετράχορδον·* et ipsa melodia Bacch. p. 13: *ὁτὲ μὲν ἀνιεμένης τῆς μελῳδίας, ὁτὲ δὲ ἐπιτεινομένης.* Denique absolute usurpantur haec verba, ut significent ascendere et descendere per sonos: Aristox. p. 18: *φυσικὸν τὸ ἐπιτείνειν καὶ τὸ ἀνιέναι ἐν τῷ διαλέγεσθαι.* cfr. p. 42 init. et ibid. med. *τῷ πνεύματι ἐπιτείνοντες καὶ ἀνιέντες.* Aristid. p. 23: *βουλόμενοι — ἐπιτείνειν καὶ ἀνιέναι κατὰ ποικίλα διαστήματα.* ibid. 24 med. *εἰ μὴ δυνηθείημεν ἀνιέναι περαιτέρω.* Ipsa etiam melodia et intervalla non solum intendi et remitti, sed etiam ascendere et descendere dicuntur Aristid. p. 25 med. *διαστήματα ἀνιέντα καὶ ἐπιτείνοντα* et p. 29: *ἀγωγή — κατὰ συνημμένων μὲν ἐπιτείνουσα, κατὰ διεζευγμένων δὲ ἀνιεῖσα.*

ἐπόγδοος. *λόγος ἐπόγδοος* est ratio superoctava, in qua est toni intervallum; ita frequentissime usurpatur hoc vocabulum. Hinc factum est, ut ii qui maxime numerorum rationes

spectabant in sonis, Pythagorici ipsum toni intervallum vel ipsum tonum vocarent τὸ ἐπόγδοον. Philol. ap. Nicom. p. 17: ἁρμονία (i. e. τὸ διὰ πασῶν) πέντε ἐπογδόων καὶ δυοῖν διέσεων, διοξεῖα τρί' ἐπόγδοα καὶ δίεσις, συλλαβὰ δὲ δύ' ἐπόγδοα καὶ δίεσις. ib. p. 27: ἁρμονία πέντε ἐπόγδοα καὶ δύο διέσεις.

εὐθύς. ἀγωγὴ εὐθεῖα Aristid. 19 et 29. Vide ἀγωγή.

ἠρεμεῖν. De voce dictum hoc vocabulum idem significat quod ἑστάναι, στῆναι, ἵστασθαι. Aristox. p. 12: ἠρεμεῖ φωνὴ τὴν ὑφ' ἡμῶν λεγομένην ἠρεμίαν στάντος τοῦ τάχους. ib. p. 13: ἠρεμεῖν συμβαίνει τῇ φωνῇ, καὶ εἰς ὀξύτητα καὶ εἰς βαρύτητα ἀφικομένῃ. — De sonis immobilibus usurpatur ab Aristoxeno p. 22: τάξις — — ἐν ᾗ ἴσα τά τε κινούμενα καὶ τὰ ἠρεμοῦντα.

ἠρεμία φωνῆς Aristox. p. 12 s. fin. 13 init. idem est quod στάσις vel etiam τάσις, quae vocc. vide. Cfr. etiam Anon. sect. 40 p. 51.

ἵστημι. Chorda dicitur consistere ubi non iam movetur neque intendendo neque remittendo. Aristox. p. 11 v. 12: τότε γὰρ ἔσται ὀξύτης, ὅταν ἐπιτάσεως ἀγούσης εἰς τὴν προσήκουσαν τάσιν στῇ ἡ χορδὴ καὶ μηκέτι κινῆται. ibid v. 17: οὐ γὰρ ἐνδέχεται κινεῖσθαι ἅμα τὴν χορδὴν καὶ ἑστάναι. ibid. v. 21: ἑστηκυίας χορδῆς. De voce hoc vocabulo Aristoxenus saepissime utitur eo sensu, ut vocem dicat sisti vel etiam se sistere, ubi inhibito motu (vide voc. κίνησις) neque in acumen neque in gravitatem deflectit, sed manet in aliqua tensione. *Act. trans.* Aristox. p. 26 med. οὐ γὰρ ἂν στήσῃς τὴν φωνὴν τοῦ ἀποδεδειγμένου (uterque Oxon. melius: τῷ ἀποδεδειγμένῳ) τόπῳ λιχανοῦ. ibid. p. 8: (φωνὴ) ἵστησιν αὑτὴν (leg. αὑτὴν) ἐπὶ μιᾶς τάσεως. ibid. p. 9 fin. ἐν τῷ διαλέγεσθαι φεύγομεν τὸ ἱστάναι τὴν φωνήν. *Intrans.* Aristox. p. 10 init. τὸ ἑστάναι τὴν φωνὴν διώκομεν. ibid. ἑκάστην τῶν φωνῶν μίαν τε καὶ ἑστηκυῖαν καὶ τὴν αὐτὴν ποιήσομεν. ibid. p. 13: τὸ ἑστάναι τὴν φωνὴν τὸ μένειν ἐπὶ μιᾶς τάσεώς ἐστιν. ibid. p. 12 med. τότε φήσομεν ἑστάναι τὴν φωνὴν, ὅταν ἡμῖν αἴσθησις αὐτὴν ἀποφήνῃ, μήτε ἐπὶ τὸ ὀξὺ μήτε ἐπὶ τὸ βαρὺ ὁρμῶσαν. ibid. p. 15 v. 20: ὅταν ἡ φωνὴ φανῇ ἑστάναι. Gaud. p. 3: (φωνὴ) ἐν τοῖς ὅροις ὧν ὑπερβαίνει τόπων ἑστῶσα. cfr. ib. p. 3 v. 22. *Medium:* Eucl. p. 2: φωνὴ μηδαμοῦ ἱσταμένη. cfr. Aristox. p. 8 v. 21. ibid. v. 32: (φωνὴ) ἱσταμένη ἐπ' αὐτῶν τῶν τάσεων. cfr. ib. p. 9 v. 5. 13. 24. 27. p. 12. p. 13: ἐάν τ' ἐπὶ βαρύτητος ἐάν τ' ἐπ' ὀξύτητος ἱστῆται (φωνή). cfr. ibid. p. 14. Porro de sonis usurpatur ἵστημι verbum ita, ut φθόγγοι ἑστηκότες sint soni in quibus edendis vox unam eandemque servat tensionem, quod necessario fieri debet in sonis musicae aptis. Aristox. p. 10: τοὺς φθόγγους ἑστηκότας ἀποδιδόναι. Gaud. p. 2: φθόγγοι ἱστάμενοι οὐκ ἐπὶ μιᾶς τάσεως. Denique φθόγγοι ἑστῶτες sunt soni immobiles, (*perpetui et stantes* Vitruv. V, 4, 5.) i. e. qui in generum discriminibus loca sua i. e. tensiones non mutant; hi vero sunt tetrachordorum extremi soni et proslambanomenos. Eucl. p. 6: ἑστῶτες (φθόγγοι) μὲν οὖν εἰσιν, ὅσοι ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς οὐ μεταπίπτουσιν, ἀλλὰ μένουσιν

ἐπὶ μιᾶς τάσεως. Alyp. p. 2: *τῶν φθόγγων οἱ μέν εἰσιν ἑστῶτες καὶ ἀκλινεῖς κτλ.* Bacch. p. 9: *ἑστῶτας μὲν οὖν φθόγγους διὰ τί λέγομεν εἶναι; διὰ τὸ περιέχεσθαι ὑπ' αὐτῶν τὰ τετράχορδα καὶ πεντάχορδα.* cfr. Gaud. p. 18. Nicom. p. 26. Iidem soni alias vocantur *ἀκίνητοι, ἀκλινεῖς, μένοντες.*

καταπλοκή est species eius melopoeiae generis quod *πλοκή* vocatur. Vide *πλοκή.*

κατασημαίνειν est sonos musicis notis designare. Gaud. p. 22: *ταύτην* (scil. *φθόγγου δύναμιν βαρυτάτην*) *οἱ παλαιοὶ κατεσημήναντο τῷ ἡμιφι πλαγίῳ.* ibid. s. fin. *ὃν* (*φθόγγον*) *οἱ παλαιοὶ τῷ διπλῷ σίγμα κατεσήμαινον.*

κατάτασις idem est quod *ἐπίτασις.* Ptolem. harm. II, 11 p. 136: (*φωνὴ*) *ὀλιγάκις ἐπὶ τὰς ἄκρας* (*μελῳδίας*) *ἐκβαίνουσα διὰ τὸ τῆς παρὰ τὸ μέτριον χαλάσεως ἢ κατατάσεως ἐπίπονον.*

κινέω. Chorda *movetur* cum intenditur aut remittitur; Aristox. p. 11: *οὐ γὰρ ἐνδέχεται κινεῖσθαι ἅμα τὴν χορδὴν καὶ ἑστάναι· ἦν δὲ ἡ ἐπίτασις κινουμένης τῆς χορδῆς.* Vox etiam moveri i. e. spatium quoddam percurrere dicitur, cum per sonos sive intervallis discretos sive continuatos progreditur. Aristox. p. 3: *κινεῖται μὲν γὰρ* (*φωνὴ*) *διαλεγομένων ἡμῶν καὶ μελῳδούντων.* ibid. p. 8: *φωνὴ δυναμένη κινεῖσθαι.* p. 9 init. *λέγεται κινεῖσθαι διαστηματικὴν κίνησιν.* ibid. v. 3: *πότερον μὲν γὰρ δυνατὸν ἢ ἀδύνατον φωνὴν κινεῖσθαι, ἑτέρας ἐστὶ σκέψεως.* ibid. v. 23: *φωνὴ κινεῖται κατὰ τόπον.* p. 12 v. 21: *κινεῖται ἐν τῷ διαστήματι* (scr. *διάστημά τι*) *ποιεῖν.* p. 32 v. 16: *φυσικὴν κίνησιν κινεῖται·* vide voc. *κίνησις.* Frequentissimus autem huius verbi usus est is, ut *κινεῖσθαι* dicantur tetrachordorum soni bini intermedii, qui pro generum discriminibus varias possunt obtinere tensiones vel finitiones, cum extremi soni immobiles sint; vide systemata trium generum supra p. 8 adscripta ad vocem *ἀσύνθετος.* Aristox. p. 22: *οἱ περιέχοντες φθόγγοι ἀκίνητοί εἰσιν ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς· δύο δὲ οἱ περιέχοντες κινοῦνται,* ibid. s. fin. *αἱ τῶν κινεῖσθαι πεφυκότων φθόγγων ἐπιτάσεις τε καὶ ἀνέσεις αἴτιαί εἰσι τῆς τῶν γενῶν διαφορᾶς.* Eucl. p. 10: *γίνονται δὲ αἱ τῶν γενῶν διαφοραὶ παρὰ τοὺς κινουμένους τῶν φθόγγων.* ibid. p. 6: *κινούμενοι φθόγγοι οἱ ἀνὰ μέσον τούτων* (scil. *τῶν ἑστώτων*). cfr. ibid. p. 7 v. 8. Nicom. p. 16 fin. *οἱ μὲν οὖν τῶν τετραχόρδων ἄκροι ἑστῶτες φθόγγοι λέγονται — οἱ δὲ μέσοι κινούμενοι,* quos quidem sonos Vitruvius V, 4, 5 vocat *vagantes* vel *mobiles,* Mart. Capella p. 184 *vagos.* Gaud. p. 20: *φθόγγοι διαφόρῳ τάσει κινοῦνται.* Aristox. p. 33 fin. *τῶν μέσων κινουμένων.* ibid. p. 46 med. p. 61: *ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς τὰ τοῦ διὰ τεσσάρων μέρη μόνα κινεῖται,* (ter). p. 4 s. fin. *οἱ κινούμενοι τῶν φθόγγων.* Moveri dicuntur etiam ipsi gradus, quos in systematis obtinent soni: Aristox. p. 34 init. *αἱ τῶν φθόγγων δυνάμεις κινοῦνται·* intervallorum magnitudines: Aristox. p. 49 init. *φανερὸν, ὅτι κινουμένων τῶν μεγεθῶν συμβαίνει γένος·* ipsum etiam genus moveri dici patet ex verbis statim sequentibus: *οὐ γὰρ ὁμοίως κινεῖται τῶν μεγεθῶν κινουμένων μέχρι τινὸς, ἀλλὰ διαμένει.* cfr. ibid. p. 48 fin. *ἰδίαν*

γὰρ δὴ κίνησιν ἕκαστον τῶν γενῶν κινεῖται. Additur etiam spatium in quo versantur soni mobiles; Eucl. p. 10: *κινεῖται ἡ μὲν λιχανὸς ἐν τονιαίῳ τόπῳ, ἡ δὲ παρυπάτη ἐν διεσιαίῳ.* Aristox. p. 4: *ἀποδοτέον τοὺς τόπους* (ita recte Oxonn. pro eo quod habet Scal. *τρόπους*) *ἐν οἷς κινοῦνται οἱ φθόγγοι*, ibid. p. 22: *λιχανοῦ μὲν οὖν ἐστι τονιαῖος ὁ σύμπας τόπος, ἐν ᾧ κινεῖται.* ib. p. 46: *ἀναγκαῖον τὸν κινούμενον φθόγγον ἐν τόπῳ τινὶ κινεῖσθαι.* Substantivi loco usurpatur *τὸ κινούμενον* Aristox. p. 34 fin. *τὰ κινούμενα* ibid. p. 22 v. 6.

κίνησις. Est hoc vocabulum usitatissimum scriptoribus musicis, et quidem de voce maxime usurpatum, quam informabant in sonis edendis spatium quoddam (*τόπον τῆς φωνῆς*) sursum deorsum permeare vel moveri a gravitate in acumen aut contra. Haec est *κίνησις τῆς φωνῆς·* Aristox. p. 3 v. 6. Eucl. p. 2 v. 8 et 12. Gaud. p. 2. Aristox. p. 10: *ἐπίτασίς ἐστι κίνησις τῆς φωνῆς συνεχὴς ἐκ βαρυτέρου τόπου εἰς ὀξύτερον.* cfr. Gaud. p. 3; quae quidem *κίνησις* accuratius definitur additis vocc. *ἡ κατὰ τόπον.* Aristox. p. 3 v. 13: *αὕτη δ' ἔστιν ἡ κατὰ τόπον* (*κίνησις τῆς φωνῆς*), *καθ' ἣν ὀξύ τε καὶ βαρὺ γίνεται· ἀλλ' οὐ ταὐτὸ εἶδος τῆς κινήσεως ἑκατέρας ἐστίν.* cfr. ibid. p. 8 v. 14: *αὐτῆς τῆς κατὰ τόπον κινήσεως τὰς διαφορὰς θεωρῆσαι.* Ex his locis simul patet hunc motum non unum esse; immo sunt eius genera duo[1]), alterum continuum alterum intervallis discretum; atque in continuo videtur vox spatium quoddam ita percurrere, ut nusquam consistat, sed usque moveatur dum sileat. Haec est *κίνησις συνεχής* Aristox. p. 8 v. 18. 19. p. 9 v. 13. 21. p. 10 v. 8. Nicom. p. 4 v. 27. p. 5 v. 11. Aristid. p. 7 v. 17. 18. 24; vel *λογική* Aristox. p. 9 v. 21. p. 10 v. 8. Eucl. p. 2 v. 9. Gaud. p. 2. id est quae fit in loquendo, ut docet Aristox.

---

[1]) Praeter duo haec genera (*εἴδη τῆς φωνῆς* Nicom. p. 3) tertium statuit Aristides. Is enim *κίνησις* vocabulum ampliore sensu accipiens primum in duo genera dividit, simplex alterum, *ἀμερές*, alterum multiplex *πολυμερές* p. 8: *τῆς δὲ κατὰ φωνὴν κινήσεως εἴδη δύο, πολυμερές τε καὶ ἀμερές. περὶ μὲν οὖν τοῦ πολυμεροῦς εἴρηται* (p. 7 loco mox laudando)· *τὸ δὲ ἀμερὲς αὐτῆς καὶ ἁπλοῦν τάσις προσαγορεύεται.* Eandem divisionem p. 7 his verbis significat: *τῆς δὲ κινήσεως ἡ μὲν ἁπλῆ πέφυκεν, ἡ δὲ οὐχ ἁπλῆ.* Iam *τὸ ἀμερὲς εἶδος* quod idem est atque *ἁπλῆ κίνησις* recte dicit *τάσιν*, tensionem esse (quae quid sit vide s. v. *τάσις*); namque ad eam efficiendam sufficit unus ille atque simplex vocis motus qui cernitur in vibrationum celeritate, quique ab Aristoxeno p. 12 significatur *κίνησις τὴν κατὰ τάχος διαφορὰν λαμβάνουσα.* Ad hunc vocis motum si accedit ille, qui fit ab alio ad alium locum (*ἡ κατὰ τόπον κίνησις*), sive continuus sive intervallatus, efficitur multiplex ille motus, *τὸ πολυμερὲς εἶδος* vel *κίνησις οὐχ ἁπλῆ.* Atque huius motus tres facit Aristides species: *continuam*, *intervallatam* et, quae apud reliquos scriptores non reperitur *mediam*, atque hanc mediam consistere docet ex continua et diastematica, fierique in recitandis poematis. Verba eius haec sunt p. 7 med: *τῆς δὲ κινήσεως ἡ μὲν ἁπλῆ πέφυκεν ἡ δὲ οὐχ ἁπλῆ· καὶ ταύτης ἡ μὲν συνεχής, ἡ δὲ διαστηματική, ἡ δὲ μέση. συνεχὴς μὲν οὖν ἐστι φωνὴ ἡ τάς τε ἀνέσεις καὶ τὰς ἐπιτάσεις λεληθότως διά τι τάχος ποιουμένη· διαστηματικὴ δὲ ἡ τὰς μὲν τάσεις φανερὰς ἔχουσα, τὰ δὲ τούτων μέτρα λεληθότα· μέση δὲ ἡ ἐξ ἀμφοῖν συγκειμένη. ἡ μὲν οὖν συνεχής ἐστιν, ᾗ διαλεγόμεθα· μέση δέ, ᾗ τὰς τῶν ποιημάτων ἀναγνώσεις ποιούμεθα· διαστηματικὴ δὲ ἡ κατὰ μέσον τῶν ἁπλῶν φωνῶν ποσὰ ποιουμένη διαστήματα καὶ μονάς, ἥτις καὶ μελῳδικὴ καλεῖται.*

p. 9 v. 22: *διαλεγομένων γὰρ ἡμῶν οὕτως ἡ φωνὴ κινεῖται κατὰ τόπον*, ubi Meibomius *λογική* male vertit *rationalis*. Contra in altero genere, quod *habet effectus distantes* Vitruv. V, 4, 2, ita vox movetur, ut transiens ab uno ad alterum locum statuat se in una eademque tensione modo graviore modo acutiore, quae autem inter singulas finitiones intermissa sint spatia, ea transsiliat et quasi latentia reddat. Haec vero est *κίνησις διαστηματική* vel *μελῳδική* Aristox. Eucl. Aristid. Gaud. locc. supra ll. Nicomachus hunc motum vocat *εἶδος τῆς φωνῆς ἐνῳδόν* p. 4 v. 30. p. 5 v. 6. Copiosissime de duobus his vocis motus generibus Aristoxenus disserit p. 8—12, ex quibus ea tantum adscribimus verba quae leguntur p. 9 v. 11—26: *απλῶς γὰρ ὅταν ἂν* (Seld. bene: *μὲν*) *οὕτω κινῆται ἡ φωνὴ, ὥστε μηδαμοῦ δοκεῖν ἵστασθαι τῇ ἀκοῇ, συνεχῆ λέγομεν ταύτην τὴν κίνησιν· ὅταν δὲ στῆναί που δόξασα εἶτα πάλιν διαβαίνειν τινὰ τόπον φανῇ, καὶ τοῦτο ποιήσασα πάλιν ἐφ᾽ ἑτέρας τάσεως στῆναι δόξῃ καὶ τοῦτο ἐναλλὰξ ποιεῖν φαινομένη συνεχῶς διατελῇ, διαστηματικὴν τὴν τοιαύτην κίνησιν λέγομεν. Τὴν μὲν οὖν συνεχῆ λογικὴν εἶναί φαμεν· διαλεγομένων γὰρ ἡμῶν οὕτως ἡ φωνὴ κινεῖται κατὰ τόπον, ὥστε μηδαμοῦ δοκεῖν ἵστασθαι, κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν, ἣν ὀνομάζομεν διαστηματικήν, ἐναντίως πέφυκε γίνεσθαι.* Motum intervallatum praeterea ita describit Aristoxenus p. 10: *δεῖ τὴν φωνὴν ἐν τῷ μελῳδεῖν τὰς μὲν ἐπιτάσεις καὶ τὰς ἀνέσεις* (i. e. transitus ab una ad alteram tensionem) *ἀφανεῖς ποιεῖσθαι, τὰς δὲ τάσεις φανερὰς καθιστάναι*[1]). Cfr. Nicom. p. 4 v. 11—15. Eadem duo genera Euclides quoque agnoscit, qui p. 2 v. 8—18 haec habet: *ταῦτα δὲ θεωρεῖται ἐν φωνῆς ποιότητι, ἧς κινήσεις εἰσὶ δύο, ἡ μὲν συνεχής τε καὶ λογικὴ καλουμένη, ἡ δὲ διαστηματική τε καὶ μελῳδική. ἡ μὲν οὖν συνεχὴς κίνησις τῆς φωνῆς τάς τε ἐπιτάσεις καὶ τὰς ἀνέσεις ἀφανῶς ποιεῖται, μηδαμοῦ ἱσταμένη, ἢ μέχρι σιωπῆς· ἡ δὲ διαστηματική κ. τ. φ. ἐναντίως κινεῖται τῇ συνεχεῖ. μονάς τε γὰρ ποιεῖ καὶ τὰς μεταξὺ διαστάσεις.* Neque aliter Gaudentius rem exponit p. 2 et Nicom. p. 3: *τῆς ἀνθρωπίνης φωνῆς — — δύο*

---

1) His refragari videntur ea, quae Euclides p. 2 (loco supra l.) et Aristides p. 7 (loco in nota praecedente adscr.) tradunt. Nam quod Aristoxenus motui intervallis discreto attribuit, ut intentiones et remissiones latentes faciat, id Euclides et Aristides ad continuum motum referunt, quem dicunt *τάς τε ἐπιτάσεις καὶ τὰς ἀνέσεις ἀφανῶς* (Aristides *λεληθότως διά τι τάχος*) *ποιεῖσθαι*. Sed omnia bene inter se congruunt; etenim Aristoxenus docet, in cantu vocem ita moveri, ut non ipsae intentiones aut remissiones, sed solae tensiones manifestae fiant atque audiantur; neque minus recte Euclides et Aristides asserunt, continuum vocis motum intentiones et remissiones *ἀφανῶς* vel *λεληθότως* facere, hoc vero est, ita, ut singuli qui intendendo aut remittendo fiant soni, quum minutissimis intervallis inter se distent, auditu discerni non possint; qua quidem in re bene animadvertendum est Aristoxenum adiectivo *ἀφανεῖς*, Euclidem vero et Aristidem adverbio *ἀφανῶς* et *λεληθότως* usos esse. Ceterum Aristidem de motu melodico idem sentire quod Aristoxenum, patet ex ipsius verbis supra allatis: *διαστηματικὴ δὲ ἡ τὰς μὲν τάσεις φανερὰς ἔχουσα, τὰ δὲ τούτων μέτρα λεληθότα· μέτρα* enim sunt spatia inter singulas tensiones, quae metiuntur intervallorum magnitudines; ea autem, quum intendendo vel remittendo fiant, Aristoxenus vocat *ἐπιτάσεις* et *ἀνέσεις*.

ἔφασκον ὡς ἑνὸς γένους εἴδη ὑπάρχειν· καὶ τὸ μὲν συνεχὲς ἰδίως ὠνόμαζον, τὸ δὲ διαστηματικόν.

Erat vero etiam alius voc. *κίνησις* usus is, ut significaret chordarum vel omnino eorum corporum, quae sonos edunt, motus ac vibrationes, quas Nicom. p. 8. 18. 19 vocabulo *κραδασμός* denotat. Ita Aristoxenus eorum sententiam, qui statuerent vocem in sonis edendis continuo moveri et sonos graviores tardioribus acutiores celerioribus motibus effici, impugnans p. 12 init. haec profert: *μὴ ταραττέτωσαν δ' ἡμᾶς αἱ τῶν εἰς κινήσεις ἀγόντων τοὺς φθόγγους δόξαι, καὶ καθόλου τὴν φωνὴν κίνησιν εἶναι φασκόντων.* ibid. v. 10: *διαφέρει γὰρ οὐδὲν ἡμῖν τὸ λέγειν ὁμαλότητα κινήσεως ἢ ταυτότητα τὴν τάσιν.* Et rursus v. 22: *εἰ δὲ κινεῖται μὲν (ἡ φωνὴ) τὴν ὑφ' ἡμῶν λεγομένην κίνησιν, ἐκείνης τῆς κινήσεως τῆς ὑπ' ἐκείνων λεγομένης τὴν κατὰ τάχος διαφορὰν λαμβανούσης — — — οὐδὲν ἂν ἡμῖν διαφέροι·* quae quidem *κατὰ τάχος διαφορά* quid significet, apparet ex alio Aristoxeni loco p. 32 med. *οἱ μὲν ἀλλοτριολογοῦντες — — καὶ φάσκοντες λόγους τέ τινας ἀριθμῶν εἶναι καὶ τάχη πρὸς ἄλληλα, ἐν οἷς τό τε ὀξὺ καὶ βαρὺ γίνεται.* Haec omnia optime illustrantur Euclidis verbis Sect. canon. p. 23: *πάντες οἱ φθόγγοι γίνονται πληγῆς τινος γινομένης· πληγὴν δὲ ἀμήχανον γενέσθαι, μὴ οὐχὶ κινήσεως πρότερον γενομένης. τῶν δὲ κινήσεων αἱ μὲν πυκνότεραί εἰσιν, αἱ δὲ ἀραιότεραι. καὶ αἱ μὲν πυκνότεραι ὀξυτέρους ποιοῦσι τοὺς φθόγγους, αἱ δὲ ἀραιότεραι βαρυτέρους.*

Denique *κίνησις* est etiam sonorum ille motus, qui fit in generum discriminibus, cum tetrachordorum soni intermedii loca sua mutant. Aristox. p. 22 v. 25: *τίς δ' ὁ τρόπος τῆς κινήσεως ἑκατέρου τῶν φθόγγων τούτων, λεκτέον.* ib. p. 61 med. *λείπεται ἐν αὐτοῖς τοῖς τοῦ διὰ τεσσάρων μέρεσι τὴν κίνησιν εἶναι.*

κλίνω. *φθόγγοι κινούμενοι καὶ κεκλιμένοι* Alyp. p. 2.

λογικός. *κίνησις τῆς φωνῆς λογική.* Vide voc. *κίνησις.*

μέγας. Hoc vocabulum de voce dictum etiam apud musicos scriptores vulgatam illam habet significationem, ut *μεγάλη φωνή* sit **vox magna** vel **summa** (Cic. de orat. I, 61, 261). Ita Nicomachus eo utitur p. 8: *(φαμὲν) πολλοῦ μὲν πλήγματος ἢ πνεύματος εἰς τὸν πέριξ ἀέρα ἐμπεσόντος καὶ κατὰ πολλὰ μέρη πλήξαντος αὐτὸν, μεγάλην ἀποτελεῖσθαι φωνήν· ὀλίγου δὲ μικράν.* ibid. p. 8 v. 22: *τῶν μέν γε ἐντατῶν αἱ τάσεις μείζονες καὶ εὐτονώτεραι μείζονας καὶ ὀξυτέρους φθόγγους ἀπεργάζονται· αἱ δὲ ὀλιγώτεραι νωχελεστέρους τε καὶ βαρυτέρους.* Sed ita etiam hoc vocabulum usurpatur, ut non magnitudinem vocis sed **acumen** indicet. Nicom. p. 18 v. 25 sqq. *εἰ γάρ τις χορδῆς μακρᾶς ὑπὸ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν τάσιν κειμένης — — τὸν ἀπὸ τῆς ὅλης κρουσθείσης φθόγγον συγκρίνει πρὸς τὸν ἀπὸ τῆς ἡμισείας — — διὰ πασῶν εὑρήσει τὸν ἀπὸ τῆς ἡμισείας πρὸς τὸν ἀπὸ τῆς ὅλης ψόφον* ***μείζονα***, *ὅπερ ἐστὶ διπλάσιον*, ubi ex additis vocc. *διὰ πασῶν* cognoscitur, non de magnitudine soni sed de acumine agi.

μέγεθος. Hoc quoque vocabulum non solum magnitudinem sed etiam vocis locum sive acutiorem sive graviorem indicat, ita ut prope ad *τάσις* vocabuli significationem accedat. Nicom. p. 4: *τὸ γὰρ ἐνῳδὸν* (*εἶδος τῆς φωνῆς*) *τοιοῦτόν ἐστι τὸ πάντας ἐμφαίνειν* (Bar. bene *ἐμφαῖνον*) *τοῖς ἐπιστήμοσι τοὺς φθόγγους, ἡλίκου ἕκαστος μεγέθους μετέχει,* hoc est: vox cantui apta omnibus intelligentibus indicat, quem acuminis aut gravitatis gradum quisque sonus obtineat. ibid. p. 5: *ἐκεῖθεν γὰρ ἀρχόμεθα συνιέναι καὶ συνορᾶν τῶν φθόγγων τὰ μεγέθη — — ὅθεν ἂν πρώτιστα ἡμῖν ἡ ἀκοὴ ἐνεργεῖν φαίνηται.* ibid. p. 7: *τάσιν δὲ* (*φαμὲν εἶναι*) *μονήν τινα καὶ ταυτότητα κατὰ μέγεθος φθόγγου ἀδιαστάτου.*

μελῳδικός. κίνησις τῆς φωνῆς μελῳδική· vide voc. *κίνησις.*

μένειν dicuntur tetrachordorum termini i. e. soni extremi, qui, cum bini intermedii soni finitiones vel loca sua mutent in generum differentiis, suis finibus permanent. Euclid. p. 6: *ἑστῶτες* (*φθόγγοι*) — — *ὅσοι ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς* — — *μένουσιν ἐπὶ μιᾶς τάσεως.* Aristox. p. 24: *ὁ βαρύτερος τῶν μενόντων φθόγγων.* ibid. p. 33 fin. *τὰς τῶν γενῶν διαφορὰς αἰσθανόμεθα τοῦ μὲν περιέχοντος μένοντος, τῶν δὲ μέσων κινουμένων.* ibid. p. 35 init. *ποιῆσαι φανερὸν, τίνων ποτὲ μενόντων ἢ τίνων κινουμένων αἱ διαφοραὶ αὗται* (scil. *τῶν γενῶν*) *γίνονται.* ibid. p. 46: *μενόντων τῶν ἄκρων.* ibid. p. 51: *ἡ παρυπάτη μένει.* ibid. p. 34 init. *μένοντος τοῦ μεγέθους* (bis) hoc est tetrachordi vel intervalli magnitudinis. Ipsum etiam modulandi genus *μένειν* dicitur: Aristox. p. 49 v. 6: *τούτου* (*τοῦ γένους*) *μένοντος.* Etiam substantivi loco participium usurpatur ab Aristoxeno p. 33 s. fin. *ἡ τῆς μουσικῆς σύνεσις ἅμα μένοντός τινος καὶ κινουμένου ἐστίν.* ibid. 34 fin. *καλῶς κρίνειν τό τε μένον καὶ τὸ κινούμενον.*

μέσος. κίνησις τῆς φωνῆς μέση Aristid. p. 7. Vide voc. *κίνησις* not. 1.

μεταβάλλω. *Trans.* Gaudentius p. 18 sonos mobiles *κινουμένους* vocari ait, *ἐπειδήπερ ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς τὴν ἑαυτῶν τάσιν μεταβάλλουσιν.* Nicom. p. 4: *μεταβάλλειν τὴν φωνὴν ἀπ' ἄλλου εἰς ἄλλον* (*φθόγγον*). *Intransitive* usurpatur eodem sensu quo *κινεῖσθαι*, ubi de sonis dicitur. Eucl. p. 6: *ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς μεταβάλλουσιν* (scil. soni mobiles) *καὶ οὐ μένουσιν ἐπὶ μιᾶς τάσεως.*

μεταπίπτω. μεταπίπτειν dicuntur soni mobiles. Alyp. p. 2: *ἑστῶτες μὲν οὖν λέγονται ὅτι ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς οὐ μεταπίπτουσιν, κινούμενοι δὲ ὅτι ἐν τ. τ. γ. δ. μεταπίπτουσιν εἰς ἑτέρας τάσεις·* et omissis vocc. *εἰς ἑτέρας τάσεις* Eucl. p. 6: *ἑστῶτες μὲν οὖν εἰσιν, ὅσοι ἐν ταῖς τῶν γενῶν διαφοραῖς οὐ μεταπίπτουσιν.* Nicom. p. 27 init. *ἐν τῷ χρώματι ὁ δεύτερος κινούμενος καὶ οὐ κινούμενος· πρὸς μὲν γὰρ τὸ διάτονον οὐ μεταπίπτει, πρὸς δὲ τὸ ἐναρμόνιον μεταπίπτει.*

μετατρέπω. Nicom. p. 26 fin. *οἱ τετραχόρδου ἄκροι ἑστῶτες φθόγγοι λέγονται· οὐ γὰρ μετατρέπονται ἐν οὐδενὶ τῶν γενῶν·* hoc idem est quod *οὐ κινοῦνται.*

μονή. τῆς φωνῆς μονή est vocis mansio vel institio, quae artis vocabulo *τάσις* vocatur. Aristox. p. 12. Anonym. sect. 39. Aristid. p. 8. Gaud. p. 3. Vide voc. τάσις. Apud Bacchium p. 12 μονή idem est quod πεττεία, quod voc. confr.

παραδιαζευγνύναι est duo tetrachorda disiungere per παραδιάζευξιν, quae quid sit, vide sub voc. παραδιάζευξις. Bacch. p. 21: παραδιέζευκται δὲ τὸ συνημμένων τῷ διεζευγμένων.

παραδιάζευξις est cum duo tetrachorda ita disiunguntur, ut ii soni, qui eundem tetrachordi locum obtinent, toni intervallo inter se distent; velut si haec duo tetrachorda deinceps canuntur:

H c d e cis d e fis

distant soni *h-cis*, *c-d*, *d-e*, *e-fis* qui eundem in tetrachordo locum obtinent toni intervallo. Bacch. p. 21: παραδιάζευξις δέ ἐστιν, ὅταν τὰ ἤθη τῶν φθόγγων τονιαῖον διάστημα πρὸς ἄλληλα ἀποτελῇ· sunt autem τὰ ἤθη τῶν φθόγγων hoc loco fere idem, quod alias αἱ δυνάμεις τῶν φθόγγων.

παρασημαίνεσθαι est melodias notis musicis signare. Aristox. p. 39: οἱ μὲν τὸ παρασημαίνεσθαι τὰ μέλη φάσκοντες πέρας εἶναι τοῦ ξυνιέναι τῶν μελῳδουμένων ἕκαστον. ibid. v. 27: καὶ ἔστιν ἀναγκαῖον τῷ παρασημαινομένῳ μόνον τὰ μεγέθη τῶν διαστημάτων διαισθάνεσθαι. p. 40 s. fin. οὐκ ἔστι τὸ παρασημαίνεσθαι πέρας τῆς εἰρημένης ἐπιστήμης.

παρασημαντικός. ἡ παρασημαντική scil. τέχνη est ars cantus notis musicis denotandi, quam negat Aristoxenus esse finem harmonicae scientiae p. 39 v. 24: δῆλον ὅτι οὐκ ἂν εἴη τῆς εἰρημένης ἐπιστήμης πέρας ἡ παρασημαντική.

πεντάτονον, τὸ, intervallum quinque tonorum, quod nos vocamus ***kleine Septime.*** Euclid. p. 8: μεταξὺ δὲ τῶν συμφώνων τρίτονον, τετράτονον, πεντάτονον, καὶ τὰ ὅμοια. Bacch. p. 13: ὑποδώριος (τόνος βαρύτερος) τοῦ μιξολυδίου πεντατόνῳ.


πεντάχορδον, τὸ, systema quinque sonorum. Bacch. p. 9 med. ἑστῶτας φθόγγους λέγομεν διὰ τὸ περιέχεσθαι ὑπ' αὐτῶν τὰ τετράχορδα καὶ πεντάχορδα.

περιφερής. ἀγωγὴ περιφερὴς Aristid. p. 19 et 29. Vide ἀγωγή.


πεττεία est melopoeiae genus, quo idem sonus pluries repetitur. Eucl. p. 22: πεττεία δὲ ἡ ἐφ' ἑνὸς τόνου πολλάκις γινομένη πλῆξις. Aliam definitionem Aristides exhibet p. 29: πεττεία δὲ ᾗ γινώσκομεν, τίνας μὲν τῶν φθόγγων ἀφετέον, τίνας δὲ παραληπτέον, καὶ ὁσάκις ἕκαστον αὐτῶν καὶ ἀπὸ τίνος τε ἀρκτέον καὶ εἰς ὃν παραληκτέον· αὕτη δὲ καὶ τοῦ ἤθους γίνεται παραστατική. Utramque definitionem consociat Bryennius p. 503 qui post Euclidis verba statim Aristidis subiicit, in quibus pro ἀφετέον habet ἀθετέον. His similia indicari videntur alio Aristidis loco p. 96 init. διὸ καὶ τῶν μερῶν

τῆς μελοποιΐας ἡ καλουμένη πεττεία τὸ χρησιμώτατον, ἐν ἐκλογῇ τῶν ἀναγκαιοτάτων φθόγγων ἑκάστοτε θεωρουμένη. Hi Aristidis loci quomodo sint intelligendi et explicandi, equidem fateor me nondum esse assecutum. Quae vero Bellermannus ad hanc difficultatem expediendam protulit, ea haud scio an acutius quam verius disputata sint. Nam quod dicit per pettiam, i. e. sonum eundem saepius repetitum, transitum ab uno in alterum modum effectum esse, id ut apud nostros musicos fit, ita apud veteres quoque fieri sane potuit, sed ex Aristidis verbis vix elici potest. Neque video, quomodo Aristides, si id voluisset, dicere potuisset ᾗ γινώσκομεν· ut enim inserviat pettia transitui parando, at certe ex ipsa pettia non cognoscimus, quomodo sit efficiendus. Ceterum recte animadvertit Bellermannus, pettiam a Bacchio μονήν vocari; is enim p. 12 ait: μονὴ δὲ τί ἐστιν; ὅταν ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ φθόγγου πλείονες λέξεις μελῳδῶνται.

π λ ο κ ή est melopoeiae genus, quod ita definit Euclides p. 22: πλοκὴ δέ (ἐστιν) ἡ ἐναλλὰξ τῶν τε (?) διαστημάτων θέσις παράλληλος. Aristides p. 19: πλοκὴ δὲ, ὅτε δια τῶν καθ' ὑπέρβασιν λαμβανομένων (φθόγγων ποιώμεθα τὴν μελῳδίαν), et p. 29: πλοκὴ δέ ἐστιν ἡ διὰ τῶν ὑπερβατῶν διαστημάτων ἢ φθόγγων δύο ἢ καὶ πλειόνων ἕνα προϊεμένη τόνον, ἤτοι τὰ βαρέα τούτων ἢ τὰ ὀξύτερα προτάττουσα καὶ τὸ μέλος ἀπεργαζομένη· qui Aristidis locus iisdem fere verbis legitur etiam apud Bryennium p. 502.[1]) Ex his definitionibus illud statim apparet, πλοκήν fuisse cantum non gradatim vel per continuos sonos, sed saliendo progredientem, ita quidem ut a certo quodam primario sono alternis sumerentur soni in grave et acutum (ἡ ἐναλλὰξ θέσις) et intervalla ab illis sonis circumclusa parallela essent (θέσις παράλληλος) sic:




Poterant etiam plus duo soni transiliri, ut Aristides docet his verbis: διὰ τῶν ὑπερβατῶν διαστημάτων ἢ φθόγγων δ ύ ο ἢ κ α ὶ π λ ε ι ό ν ω ν, hunc in modum:



Hoc autem ita fieri debebat, ut melodia a primario sono incipiens semper unum tonum pro-

[1]) Apud Bacchium quoque πλοκῆς mentio fit, quae Bellermanno magnam movit difficultatem; Bacchius enim postquam de modis (τρόποις) disseruit, ita pergit p. 13: τρόπος δὲ τί ἐστι; πλοκῆς ἐμμελοῦς σχῆμα. πλοκῆς δὲ μέλος τί ἐστιν; ὃ διὰ τῶν ἔγγιστα φθόγγων μελῳδεῖται ὁτὲ μὲν ἀνιεμένης τῆς μελῳδίας, ὁτὲ δὲ ἐπιτεινομένης· quam ἀγωγῆς definitionem aperte esse dicit Bellermannus. Mihi videntur haec verba, quamvis facili negotio etiam ita possint explicari, ut vere in πλοκήν cadant, plane aliter intelligenda esse. Etenim verba πλοκῆς δὲ μέλος τί ἐστιν; κτλ. Bacchius eo tantum consilio addidisse videtur, ut explicaret quod antea dixerat, τρόπον esse πλοκῆς ἐμμελοῦς (i. e. sonorum complexionis cantui aptae) σχῆμα· est igitur πλοκή hoc loco non melopoeiae illud genus, sed in universum significat sonorum connexionem qualis in octavae speciebus sive modis invenitur. Ita πλοκή vocabulum etiam Aristides usurpat p. 25: ὧν καὶ τὰ σχήματα καὶ τὰς πλοκὰς δυνατὸν θεωρεῖν.

moveretur: *f* — *g* — *a*; haec enim sententia requiritur in Aristidis verbis: ἕνα προϊεμένη τόνον, in quibus vocab. προϊεμένη dubito an depravatum sit. In singulis autem intervallis parallelis incipere poterat aut gravior sonus:



quod indicant Aristidis verba: ἤτοι τὰ βαρέα τούτων ἢ τὰ ὀξύτερα προτάττουσα. Atque harum duarum πλοκῆς specierum peculiaria nomina, ἀναπλοκή prioris, καταπλοκή posterioris fuisse, colligi licet ex eo, quem Bellermannus ad Anon. p. 85 laudat Ptolemaei loco Harm. II, 12 p. 158, qui de monochordi canonis debilitate disserens carere eum dicit: ἀναπλοκῆς, κακαπλοκῆς, σύρματος καὶ ὅλως τῆς διὰ τῶν ὑπερβατῶν φθόγγων συμπλοκῆς. In quibus quae praeterea leguntur voces σύρμα et συμπλοκή eas Bellermannus ita explicuit, ut dicat συμπλοκήν significare universum genus, idem quod πλοκή, σύρμα autem eas melodias „quae in utramque partem non gradatim ut in ἀγωγῇ περιφερεῖ, sed saliendo progrederentur." Quae quidem interpretatio num vera sit, equidem affirmare non ausim.

πολυμερής. εἶδος τῆς κατὰ φωνὴν κινήσεως πολυμερές Aristid. p. 8. Vide s. v. κίνησις.

σημαίνειν est notis musicis sonos describere: Gaud. p. 21 init. τὴν διάφορον αὐτοῦ (τοῦ φθόγγου) τάσιν σημαίνειν. ib. p. 23 s. fin. ὁ μὲν οὖν πρῶτος στίχος τῶν σημείων, ἐν τοῖς φθόγγοις βαρύτητος δύναμιν σημαίνων, ἔχει σημεῖα τὸ ἡμιφι κτλ. cfr. ibid. p. 24 init. Vide etiam verba ἀποσημαίνειν, ἀποσημειοῦσθαι, κατασημαίνειν et παρασημαίνεσθαι.

σημειοῦσθαι significat idem quod antecedens verbum: Gaud. p. 23 init. ἀεὶ τοίνυν ὁμοίως τὸν ἡμιτονίῳ φθόγγον τοῦ προτέρου ὀξύτερον σημειούμενοι. ibid. praeterea bis legitur.

στάσις τῆς φωνῆς quid sit vide s. vv. τάσις et τονή.

συλλαβή est antiquius diatessaron consonantiae nomen. Aristid. p. 17 s. fin. παρὰ μὲν τοῖς παλαιοῖς τὸ μὲν διὰ τεσσάρων ἐκαλεῖτο συλλαβή. Huius nominis originem Nicomachus explicat p. 16 s. fin. (οἱ παλαιότατοι καλοῦντες) συλλαβὴν, τὴν διὰ τεσσάρων· πρώτη γὰρ σύλληψις φθόγγων συμφώνων. Cfr. Philolaus apud eundem Nicomachum p. 17: ἁρμονίας μέγεθος συλλαβὰ καὶ διοξεῖα. τὸ δὲ διοξείας μεῖζον συλλαβᾶς ἐπογδόῳ.

συμπλοκή. Vide voc. πλοκή s. fin.

συνάπτω. Hoc verbum et quod ei oppositum est διαζεύγνυμι de tetrachordis maxime dicitur. Atque συνάπτειν τετράχορδα est ita coniungere duo tetrachorda quae sunt eiusdem speciei et deinceps sese excipiunt, ut communis inter utrumque sit sonus, qui sit simul acutioris tetrachordi gravissimus et gravioris acutissimus; contra διαζευγνύναι τετράχορδα

est duo tetrachorda ita disiungere, ut sit inter utrumque intervallum toni integri. Sunt igitur in systemate hoc:

H c d e f g a h c̄ d̄ ē

priora duo tetrachorda coniuncta (*συνημμένα*) communi sono *e*, contra posteriora duo tetrachorda *e* — *a* et *h* — *ē* disiuncta (*διεζευγμένα*) toni intervallo quod est inter sonos *a* et *h*. Atque ipse ille sonus aut tonus communis dicitur disiungere aut coniungere tetrachorda. Eucl. p. 17 v. 15: *κοινὸς δὲ αὐτὰ* (scil. *τὰ ὑπατῶν καὶ μέσων τετράχορδα*) *συνάπτει φθόγγος ὑπάτη μέσων*, et ibid. v. 24: *κοινὸς δὲ αὐτὰ διαζεύγνυσι τόνος, ὁ μεταξὺ μέσης καὶ παραμέσης*. Nicom. p. 17: *τόνος διαζευγνύς*. Bacch. p. 10: *ποῖοι οὖν αὐτὰ* (*τὰ τετράχορδα*) *φθόγγοι συνάπτουσι; τὸ μὲν ὑπατῶν πρὸς τὸ μέσον* C/C *κτλ.* ibid. p. 20: *συνῆπται γὰρ τῷ ὑπατῶν τὸ μέσων, καὶ τῷ μέσων τὸ συνημμένων — — τὸ μὲν οὖν ὑπατῶν καὶ τὸ μέσων συνάπτει ἡ ὑπάτη μέσων, κοινὸς ὢν αὐτῶν φθόγγος*. ibid. p. 21: *διέζευκται γὰρ τὸ μέσων τετράχορδον ἀπὸ τοῦ διεζευγμένων*. Deinde simpliciter tetrachorda dicuntur coniungi aut disiungi. Aristox. p. 58: *τὰ ἑξῆς τετράχορδα ἢ συνῆπται ἢ συνδιέζευκται*. Gaud. p. 10: *τὰ δὲ λοιπὰ τετράχορδα διέζευκται μὲν ἀναγκαίως τῶν πρώτων κατὰ τὸν αὐτὸν τόνον* (scil. *τὸν ἀπὸ μέσης ἐπὶ παραμέσην*)· *συνῆπται δὲ ἀλλήλοις κατὰ κοινὸν φθόγγον, τὴν νήτην τῶν διεζευγμένων*. Eucl. p. 17: *τετράχορδα συνημμένα* et *διεζευγμένα*. ibid. p. 18: *ἀλλήλοις συνημμένα* ibid. *τετράχορδα τέσσαρα διὰ δυοῖν διεζευγμένα*. cfr. Gaud. p. 7 s. fin. Aristox. p. 17 v. 25: *μέγεθος διεζευγμένον ἢ συνημμένον*. Bacch. p. 18: *σύστημα συνημμένον* et *διεζευγμένον*. Substantivi loco usurpatur part. perf. Bacch. p. 15 med. *Ποσάχορδόν ἐστι τὸ συνημμένον; ἑπτάχορδον. τὸ δὲ διεζευγμένον; ὀκτάχορδον·* et plurali numero: Bacch. p. 10 fin. *τὰ μὲν συνημμένα κατὰ τὸ διὰ τεσσάρων, τὰ δὲ διεζευγμένα κατὰ τὸ διὰ πέντε* (*συμφωνεῖ*). Frequentissime scriptores musici horum verborum participiis perf. pass. utuntur ad designandum tetrachordum tertium et quartum systematis immutabilis. Etenim systema hoc:

H c d e f g a

ita potest continuari, ut sonus *a* fiat gravissimus sonus novi tetrachordi huius:

a b c d

aut ita ut per disiunctionem a sono *a* pergatur sic:

h c̄ d̄ ē.

Atque haec tetrachorda *κατ᾽ ἐξοχήν* vocantur illud *τετράχορδον συνημμένων* (scil. *χορδῶν* vel *φθόγγων*), hoc *διεζευγμένων*. Gaud. p. 7: *ἀπὸ δὲ ταύτης* (scil. *τῆς μέσης*) *ποτὲ μὲν τὸ τῶν συνημμένων προσετίθεσαν τετράχορδον — — ποτὲ δὲ τὸ τῶν διεζευγμένων*. Eucl. p. 17: *μέση δέ ἐστι συναφὴ ἐκ τοῦ μέσων καὶ συνημμένων* (*τετραχόρδου*) — — *ὀξυτάτη δέ ἐστι συναφὴ ἐκ τοῦ διεζευγμένων καὶ ὑπερβολαίων*. cfr.

Nicom. p. 23 v. 8. Bacch. p. 21 init. Omisso vocabulo τετραχόρδου Bacch. p. 20: τὸ συνημμένων, τὸ διεζευγμένων, ibid. pluries. Atque horum tetrachordorum singuli soni τρίτη, παρανήτη, νήτη designantur addito vocabulo συνημμένων aut διεζευγμένων, quod in singulis fere pagellis legitur, maxime in sonorum descriptionibus apud Euclidem p. 3—7. Nicomachum p. 40. Gaudentium p. 24—29. Alypium.

συναφή. Huic etiam vocabulo statim coniungimus id, quod ei est oppositum διάζευξις. Est autem συναφή *coniunctio*, διάζευξις *disiunctio* tetrachordorum; de re vide, quae sunt exposita ad voc. συνάπτειν. Definitur utrumque vocabulum ab Aristoxeno p. 58 ita: καλείσθω δὲ συναφὴ μὲν ὅταν δύο τετραχόρδων ἑξῆς μελῳδουμένων ὁμοίων κατὰ σχῆμα φθόγγος ᾖ ἀνὰ μέσον· διάζευξις δὲ, ὅταν δύο τετραχόρδων ἑξῆς μελῳδουμένων ὁμοίων κατὰ σχῆμα τόνος ᾖ ἀνὰ μέσον· iisdem fere verbis Euclides p. 17 rem explicat; cfr. etiam Bacch. p. 10 et 20. Tonus ille, qui seiungit tetrachorda vocatur τόνος τῆς διαζεύξεως: Gaud. p. 8. vel τὸ ἴδιον τῆς διαζεύξεως: Aristox. p. 61. Etiam plurali numero utrumque vocabulum usurpatur; Eucl. p. 17: εἰσὶ δὲ αἱ πᾶσαι συναφαὶ (scil. ἐν τῷ ἀμεταβόλῳ συστήματι) τρεῖς· μέση, ὀξυτάτη, βαρυτάτη. Nicom. p. 23 med. τούτων δὲ (τῶν τετραχόρδων) διαζεύξεις μὲν εἶναι δύο, συναφὰς δὲ τρεῖς. Bacch. p. 9 fin. συναφὰς οὖν πόσας λέγεις ἐν αὐτοῖς ὑπάρχειν; τρεῖς. ibid. p. 10 med. πόσας δὲ ἐροῦμεν διαζεύξεις; δύο. τίνας; ταύτας· τὴν μέσων καὶ συνημμένων h. e. quae sunt inter tetrachorda meson et diezeugmenon, et inter synemmenon et hyperbolaeon [1]), ut ipse Bacch. p. 21 accuratius loquitur: διαζεύξεις δέ εἰσι δύο· διέζευκται γὰρ τὸ μέσων τετράχορδον ἀπὸ τοῦ διεζευγμένων, καὶ τὸ συνημμένων ἀπὸ τοῦ ὑπερβολαίων. Etiam singula tetrachorda quae coniunguntur vocantur συναφαί, Nicom. p. 21: σύστημα ἑπτάχορδον ἐκ δύο συναφῶν συγκείμενον. Iam alterutro modo aut per coniunctionem aut per disiunctionem omnia tetrachorda sese excipere docet Aristoxenus p. 61: πᾶν μὲν γὰρ διῄρηται τὸ ἡρμοσμένον εἰς συναφήν τε καὶ διάζευξιν. ibid. p. 17: (διαίρεσις) εἰς συναφὴν καὶ διάζευξιν. et p. 62: πᾶν γένος ἤτοι ἐν συναφῇ μελῳδεῖται ἢ ἐν διαζεύξει. Quae autem coniuncta aut disiuncta sunt tetrachorda vel systemata significantur a scriptoribus maxime vocibus κατὰ συναφὴν vel κατὰ διάζευξιν. Euclid. p. 17: ἔστι τὸ μὲν ἔλαττον (σύστημα) κατὰ συναφήν· p. 18: τὸ δὲ μεῖζόν ἐστι κατὰ διάζευξιν· et simpliciter dicitur τὸ κατὰ συναφὴν vel τὸ κατὰ διάζευξιν σύστημα. ibid. p. 18. med. et fin. Aristid. p. 19 med. Gaud. p. 8 s. fin. p. 9 med. Bacch. p. 9 med. ἡ μέντοι μέση — κατὰ μὲν τὰς συναφὰς βαρύπυκνος, κατὰ δὲ τὴν διάζευξιν ἄπυκνος. Nicom. p. 9 med. κατὰ συναφῆς (?) ὁ μέσος φθόγγος. cfr. ibid. p. 14 v. 25. p. 20 v. 15: λύρα ἑπτάχορδος κατὰ συναφὴν ἐκ δύο τετραχόρ-

---

[1]) Aliter illud δύο intelligendum est apud Nicom. p. 23; ibi enim altera disiunctio est ea, qua disiunguntur proslambanomenos et hypate hypaton.

δων συνεστῶσα. ibid. p. 21 v. 8: *τὸ ἕτερον τῶν λεχθέντων προσῆψαν τετράχορδον πάλιν κατὰ συναφήν.* cfr. p. 20 v. 25. Dicuntur etiam tetrachorda in disiunctione sita esse: Aristox. p. 61: *τὸ βαρύτερον τῶν ἐν τῇ διαζεύξει κειμένων (τετραχόρδων).*

συναφής. *τὸ συναφές* idem est quod *τὸ συνημμένον.* Nicom. p. 20 fin. *τὸ πρὸ αὐτοῦ τετράχορδον, τὸ τῇ μέσῃ συναφές.*

συνεχής. *κίνησις τῆς φωνῆς συνεχής* Aristox. p. 9. Euclid. p. 2. *ἰδέα κινήσεως συνεχής* Aristox. p. 8. *εἶδος τῆς φωνῆς συνεχές* Nicom. p. 3. *φωνὴ συνεχής* ibid. p. 4 v. 27. Aristid. p. 7. Vide voc. *κίνησις.*

σύνθετος. Vide voc. *ἀσύνθετος.*

σύρμα. Vide voc. *πλοκή* s. fin.

τάσις, *tensio*, significat aliquid intensum esse, ut est apud Eucl. p. 2 fin. *ἀμφοῖν γὰρ* (scil. *βαρύτητι* et *ὀξύτητι*) *συμβέβηκε τὸ τετάσθαι.* Et proprio quidem usu *τάσις* est tensio quam habet chorda plus minusve intensa; nam vocabulum ab instrumentis quae intenduntur desumtum est, ut idem Eucl. l. l. monstrat: *τάσεις μὲν (καλοῦνται οἱ φθόγγοι) ἀπὸ τῶν καθαπτῶν*[1]) *ὀργάνων, παρὰ τὸ τετάσθαι.* Ita apud Gaud. p. 12 med. *δυνατὸν μὲν οὖν καὶ πλείονας* (scil. quam quae sunt inter diatessaron et disdiapason) *ἐπινοηθῆναι συμφωνίας, ἀλλ᾽ οὐκ ἂν ὑποφέροι τὴν τάσιν τὰ ὄργανα.* Theo Smyrn. p. 89: *τάσεως γινομένης κατὰ τὴν στροφὴν τῶν κολλάβων.* Nicom. p. 8 v. 22: *τῶν μέν γε ἐντατῶν αἱ τάσεις αἱ μείζονες καὶ εὐτονώτεραι μείζονας καὶ ὀξυτέρους φθόγγους ἀπεργάζονται.* ib. p. 8 v. 31. *(χορδαὶ) σὺν πολλῷ τῷ κραδασμῷ —— ἀποκαθίστανται ὥσπερ ἐπειγόμεναι ὑπ᾽ αὐτῆς τῆς σφοδρᾶς τάσεως.* Aristox. p. 11 v. 13: *ὅταν ἐπιτάσεως ἀγούσης εἰς τὴν προσήκουσαν τάσιν στῇ ἡ χορδή.* ib. p. 18: *ἐναντίον τῇ κατὰ τὴν τάσιν συμμετρίᾳ·* et paullo post: *χορδὴ ὑπὸ μίαν καὶ τὴν αὐτὴν τάσιν κειμένη.*

Haec igitur intensi notio semper quidem subest huic vocabulo, ubicunque apud Musicos scriptores reperitur; sed tamen plurimis locis ita usurpatum videmus, ut paullo immutata sit eius notio atque declinet ab origine sua, certe ita, ut omittatur fere chordarum earumque intensionis cogitatio. Animo enim informemus spatium, quod est intra gravissimum qui potest cogitari et acutissimum sonum, tanquam lineam, hanc autem lineam innumeris punctis distinctam esse; porro vocem aliquam, sive humanam sive organicam, secundum hanc lineam aut ascendere a gravi in acutum aut descendere contrario motu; iam poterit vox quolibet innumerabilium illorum punctorum inhibere motum, et consistere; atque haec est *τάσις,* ubi vox intermisso motu consistit certo quodam puncto intra gravitatis et acuminis fines, quam

---

[1]) *καθαπτὰ ὄργανα* sunt eadem quae Nicom. p. 5 et 8 *ἐντατὰ* appellat; utrumque nomen coniunctum est apud Athen. VI p. 174 D: *ἐντατὸν οὖν καὶ καθαπτὸν οὐκ ἂν νομισθείη* (scil. *ἡ ὕδραυλις*).

Vitruvius Aristoxeni verba (p. 8 v. 27) vertens aptissime reddit per *finitionem* V, 4. 2: *statuit se* (vox) *in alicuius sonitus finitione, deinde in alterius, et id ultro citro crebre faciendo inconstans apparet sensibus.* Hinc iam apparebit, quid sibi velint Euclidis verba p. 3 init. *φθόγγοι δέ εἰσιν τῇ μὲν τάσει ἄπειροι·* nam quum sint finitiones in isto quod diximus spatio innumerabiles, apparet etiam sonos posse innumerabiles esse. His congruunt voces, quibus utuntur scriptores in definiendo *τάσις* vocabulo: *στάσις, μονή, ἠρεμία φωνῆς.* Aristox. p. 12: (*τάσις*) *σχεδόν ἐστι τοιοῦτον οἷον μονή τις καὶ στάσις τῆς φωνῆς·* eadem verba leguntur apud Anonym. sect. 39 p. 51. ibid. sect. 40: *τάσις δὲ ἠρεμία* (*φωνῆς*) cfr. Aristox. p. 13 v. 11. Eucl. p. 2 med. *ἡ διαστηματικὴ κίνησις τῆς φωνῆς — μονὰς ποιεῖ, καὶ τὰς μεταξὺ τούτων διαστάσεις — —. τὰς μὲν οὖν μονὰς τάσεις καλοῦμεν.* Aristid. p. 8 v. 26: *τάσις δέ ἐστι μονὴ καὶ στάσις τῆς φωνῆς·* eadem verba leguntur apud Gaud. p. 3. Paulo aliter, sed non minus recte Aristides p. 9 *τάσιν* definit ita: *πᾶσα μὲν οὖν ἁπλῆ κίνησις τῆς φωνῆς τάσις* (vide voc. *κίνησις*)· brevius etiam *τάσιν* vocat *ἁπλῆν φωνήν* p. 7: *διαστηματικὴ δὲ* (*κίνησις*) *ἡ κατὰ μέσον τῶν ἁπλῶν φωνῶν* (i. e. *τῶν τάσεων*) *ποσὰ ποιουμένη διαστήματα·* idem Nicomachus indicare videtur, qui ipsam *τάσιν* vocat *ἁπλῆν* p. 24. Alii quos Aristoxenus p. 12 v. 10 commemorat *τάσιν* dixerant esse *ὁμαλότητα κινήσεως ἢ ταυτότητα,* quae definitio sine dubio est Pythagoricorum, et *κίνησις* hoc loco significat vibrationum celeritatem. Similiter Nicomachus definit *τάσιν* p. 7: *μονήν τινα καὶ ταυτότητα κατὰ μέγεθος φθόγγου ἀδιαστάτου.*

